


The background of the image is a marbled paper with a complex, swirling pattern. The colors used are primarily shades of brown, tan, and gold, with some darker green and blueish-green accents. The pattern is organic and fluid, resembling marbled water or a stylized landscape. A small, white, rounded rectangular label is positioned in the lower-left corner of the image. The number '9' is printed in a dark, sans-serif font on this label.

9



239. 69 - 9.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
INAUGURALIS  
DE  
FULMINE,

ANNUENTE SENIORUM MUSENI  
DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
INAUGURALIS

DE  
F U L M I N E.

NICOLAUS GOUNELIUS de FREMERI

Ex Pano Ossentino. Bataclan.

16. dec. 16. Mense Decembris 1690.

EGERIA IN CORTINA

EGERIA IN CORTINA  
cum SAMUELEM et JOANNEM LUDWIGIANIS

M D C C E M

DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
IN AUREA LITERA

EX

T U M I N E

9

DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
INAUGURALIS  
DE  
**F U L M I N E,**  
IN ATHENAE QUAM  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,  
EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI  
**FLORENTII JACOBI VOLTELEN,**  
MED. DOCT. MEDICINAE ET CHEMIAE PRO-  
FESSORIS ORDINARII,  
NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, ut & Nobilissimae FACULTATIS PHILOSOPHICAE Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS ET MAGISTERII,



*Summisque in PHILOSOPHIA & ARTIBUS LIBERALIBUS  
Honoribus & Privilegiis rite & legitime consequendis,*

*Publico atque Solemni Examini Submittit*

**NICOLAUS CORNELIUS DE FREMERY,**

*Ex PAGO OVERSCHIE — BATAVUS.*

*Ad diem xx. Martii MDCCXC, H. L. Q. S.*



LUGDUNI BATAVORUM  
APUD SAMUELEM ET JOANNEM LUCHTMANS.

M D C C X C

239 9)  
G 9 9)

DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
E PLASTA

**E** *Principio Tonitru quatuntur caerulea coeli  
Propterea, quia concurrunt sublime volantes  
Aetheriae nubes contra pugnantibus ventis.  
Nec sit enim sonitus coeli de parte serena,  
Verum ubique magis densi sunt agmine Nubes,  
Tam magis hinc magno fremitus fit murmure saep.*

**M** *Maturum tum quasi Fulmen  
Personat subito nubem, fertaque coruscis  
Omnia luminibus lustrans loca percitus ardor:  
Quem gravis insequitur sonitus, displosa repente  
Opprimere ut coeli videantur tempora superne.  
Inde tremor terras graviter pertentat, & altum  
Murmura percurrunt coelum: nam tota sere tum  
Tempestas concussa tremit, fremitusque moyentur:  
Quo de concusso sequitur gravis imber, & uber,  
Omnis uti videatur in imbre vertier Aether,  
Atque ita praecipitans ad diluvium revocare:  
Tantus discidio nubis, ventique procella,  
Mittitur ardens sonitus cum proximat istud.*

**P** *Praeterea, per se accendunt quoque tecla domorum,  
Et celeri flamma dominantur in aedibus ipsis.  
Hunc tibi subtilem cum primis Ignibus ignem  
Constituit natura minatis, mobilibusque  
Corporibus, cui nil omnino obsistere possit.  
Transit enim valide Fulmen per septa domorum,  
Clamor uti, ac voces, transit per saxa, per aera:  
Et liquidum punclo facit aes in tempore & auram.*

LUCRETIUS.

ANNAE  
SUMERI ET IOMENE LICHMANIS

(e e e  
e e e)

*DOCTISSIMO PLURIMUMQUE REVERENDO*

*CHRISTIANO RITO*

**PETRO ISAACO DE FREMERY,**

IN ATHENAEO SYLVADUCensi LINGUAe  
GRAECAe PROFESSORI, ET IN EADEM  
URBE VERBI DIVINI MINISTRO

*PATRIO PERTIMO,*

OMNI, QUA FILIUM DECET, PIETATE AD  
ULTIMUM USQUE VITAE HALITUM,  
*COLEND*O

*N E C N O N*

*CLARISSIMIS DOCTISSIMISQUE*

*VIRIS*

**DIONYSIO VAN DE WYNPERSSE,**

A. L. M. S. S. THEOL. ET PHILOS. DOCTORI, IN  
ACADEMIA LUGDUNO BATAVA PHILOS.  
MATH. ET ASTRON. PROFESSORI PUBLI-  
CO. ORDINARIO, PLURIBUS SCIENTIA-  
RUM SOCIETATIBUS ADSCRIPTO

*ALTOCULA*

*B. T.*

CHRISTIANO HENRICO  
D A M E N,

A. L. M. PHILOS. DOCTORI, IN ACADEMIA LUG-  
DUNO BATAVA MATH. SUBLIM. ARCHIT. CIVI-  
LIS ET MILIT. UT ET HYDRAUL. ET PHYSICES  
PROFESSORI PUBLICO ORDIN. PLURIBUS  
SCIENTIARUM SOCIETATIBUS AD-  
SCRIPTO, PROMOTORI  
AESTUMATISSIMO.  
PRAECEPTORIBUS HONORATISSIMIS  
DE SE SUISQUE STUDIIS, OPTIME MERITIS.

DIONYSIO VAN DE WYNBERGSE  
V. L. M. S. & THEOL. & PHILOS. DOCTORI, IN  
ACADEMIA LUGDUNO BATAVA PHILOS.  
Hocesse qualescumque Studiorum primitias  
in gratia animi tesseram.  
RUM SOCIEATIBUS DESCRIPTO  
D. D.

A U C T O R,



DISSE<sup>T</sup>RATI<sup>O</sup> PHILOSOPHICA

INAUGURALIS

DE

F U L M I N E.

INTRODUCTIO.

Cum per plures Annos in hac Academia studiis Philosophicis, nativa eorum pulcritudine & utilitate potissimum affectus, operam dedisset, tandem animum invasit desiderium, lauream Doctoralem in illis ipsis consequendi. Hunc autem finem ut rite obtinerem,

## 2 · · · DISSERTATIO PHILOSOPHICA

veteri Academiae laudabilique instituto erat satisfaciendum, atque aliquod proiectum meorum specimen in publicam lucem edendum. Sequentes itaque pagellae, quas mihi non scribendi cupido, sed necessitas dictavit, ita a benevolo Lectore dijudicentur, precor, ut in illis non quaerat nova quaedam, & omnibus numeris absoluta, sed, quod revera tantum continent, eorum, quae didici, qualemcumque demonstrationem. Neque simulata est modestia, si putem, vix quidquam ulterius a juvene, in primis a me, aliis studiis jam obruto, ab aequis rerum judicibus exceptari posse.

De ipso dissertationis argumento pauca sunt, quae praemonenda habeo. Neminem in Physis non plane rudem valde mitigaturum esse confido, me eandem materiam, de qua jam ante triginta fere annos Cl. Rossyn in Dissertatione Academica tam accurate egerat, pertractandam mihi sumfisse. Inde enim ab illo tempore tot tantosque fecit scientia electrica progressus, ut vel plane aliam & novam faciem eam induisse, non facile quisquam negaverit.

Maxime autem me ad hanc materiem eligendam determinavit, publica ejusdem utilitas, in nostra Patria forte non ita, ac in aliis regionibus, agnita: cuius rei fidem facere posse videtur parvus aedificiorum numerus, Conductoribus, fulminis pericula avertentibus, munitorum. Consultum itaque duxi paulo fusius

de

de Conductorum utilitate in peculiari Capite agere, eamque ab objectionibus vindicare.

In ipsa autem Dissertatione hunc ordinem secutus sum, ut:

Capite *Primo*. Identitatem Phaenomenorum Electricorum, cum iis, quae fulmen edit, exponerem.

Capite *Secundo*. In actionem atmosphaerarum electricarum inquirerem.

Capite *Tertio*. Generalem fulminis descriptionem, & in variis Species divisionem, exhiberem.

Capite *Quarto*. Fulminis Phaenomena ex doctrina Electrica explicarem.

Capite *Quinto*. De Tonitru & Fulgure agerem.

Capite *Sexto*. Ad remedia, quas nobis electricitas, ad fulminis pericula a nobismet ipsis nostrisque domiciliis avertenda, praebet, attenderem; & denique,

Capite *Sepimo*. Originem electricitatis atmosphaericæ, quantum illud pro scientiae infantia licet, demonstrarem.

## 4. DISSERTATIO PHILOSOPHICA

de Contingentia nullitate in secundum Chiese Augs., cuncte sp  
oppositiones vindicatae.

in primis Disputationes propter diligenter locutus sum est  
Chiese Viro. Idemque Prenotacionem legiicorum

### C A P U T P R I M U M.

#### DE IDENTITATE PHAENOMENORUM FULMI- NIS ET ELECTRICITATIS.

In omni phaenomenorum, tum naturae, tum artis explica-  
tione, illud maximi momenti est habendum, ut veram atque ge-  
nuinam eorum causam, vel causas, cognitam habeamus atque  
perspectam, ne hanc ignorantis in varias; alias forte aliis ab-  
surdiores, conjecturas incidamus & sic misere, cum maximo  
veri cognitionis detimento, hallucinemur. Haec consideranti  
mihi studiose diligenterque curandum est, ut in ipso disquisitionis  
limine aliquid certi de vera fulminis causa statuere mihi liceat.

Ea scilicet demonstrata ipsa phaenomenorum fulminis explica-  
tio redditur facilior, cum nihil tunc amplius sit agendum, quam  
examinare, quomodo illa causa, cuius natura, modusque & le-  
ges operandi, aliunde, vel per observationem vel per experi-

men-

menta, jam cognitae sunt, in fulminis phaenomenis producen-  
dis agat.

Quaenam igitur vera fulminis causa est? Ut hūic quaestioni  
prō sua dignitate respondeatur, operaे pretium esse non puto,  
ut multae variaeque opinioneѕ, quas ad 50 ferme ab hinc annis  
veteres omnes & recentiores Philosophi de fulminis origine &  
explicatione proposuerunt, hic ad examen revocentur, & alla-  
tis argumentis late refutentur. Omnium enim harum opinionum  
commenta dudum delebit eadem illa dies, qua tandem vera cau-  
ſa detecta fuit. Caeterum, qui has opinioneѕ recensitas & re-  
futatas legere cupiat, adeat Cel. ROSSYN in *Dissertatione in In-  
troductione jam laudata, & in primis Doct. PAETS VAN TROOST-  
WYK & KRAYENHOFF, in egregio opere, cui titulus, de  
l'Application de l'Electricité à la Physique, & à la Medicine Amst.  
1788. Part I. sect. 3. chap. 4.*

Unice itaque id in hoc capite agam, ut demonstrem, causam  
veram & genuinam phaenomenorum, quae fulmen edit esse ean-  
dem, quae, nostra arte excitata, electrica phaenomena pro-  
ducit, & unicam differentiam, quam inter phaenomena fulminis  
& electricitatis observamus, a majori minorive ejusdem causae  
intensitate esse derivandam.

Quoniam autem historia praecipuorum electricitatis phaeno-  
menorum & legum, plurimum conducere potest ad meliorem

intelligentiam omnium argumentorum, quibus deinde mihi erit utendum, ut ipsam identitatem causarum, quae fulmen & electricitatem producunt, demonstrem, ex re mea esse existimo, ut prius aliquam electricae scientiae historiam praemittam, vel potius illam ejus partem, qua planum fiat, quomodo, una cum phaenomenorum electricorum, eorumque legum, cognitione, simul creverit certitudo illius Analogiae, quae inter haec ipsa phaenomena, & ea, quae a fulmine edi solent, locum obtinet. Cum adhuc pauca tantummodo de Electricitate erant cognita, jam in Anglia Doct. WALL lumen & crepitationem, quas in Succino fricato observabat, comparavit cum fulmine & tonitu (a); Neque tamen illa opinio tunc ullo fundamento idonea nisi poterat, nisi levi satis analogia, quae inter utraque phaenomena tunc temporis observabatur. Dilatatis autem deinde electricae scientiae pomoerii, detectâ a Cl. GREY differentiâ inter corpora idcoëlectrica & anelectrica, & multis aliis in nova hac doctrina ulterius perfectis, analogia inter phaenomena fulminis & electrica in dies sedulo observatori clarior evasit; hujus quoque ideam tunc proposuit, & argumentis confirmavit Lipsiensis.

---

(a.) Vid. PRIESTLEY, *Histoire de l'Electricité* Tom. I. p. 19. Usus sum versione Gallica hujus libri, quae prodit Parisis A. 1771. in III. Tom. serma 12ma.

sienis Professor WINKLER (b). Mirum autem in modum hujus analogiae certitudo firmari debebat, cum anno 1746. de- tegebatur experimentum cum lagena Leydensi instituen- dum (c), quod statim, post fortuitam inventionem, ulterius exultum, Theoriae electricae perficienda, & in statum, in quo hodie versatur redigendae, occasionem dedit. Et certe magna veritatis speciem acquirere debuisse opinionem de analogia fulmen inter & electricitatem sponte patebit, si consideremus ingentes illos effectus, quos ope lagena talis Leydensis produ- cere valemus; ingentem, puta, eamque momentaneam concus- sionem, quae lagena exonerationem concomitatur, junctam cum vivo, quod simul observatur, lumine, & incredibili cele- ritate, qua per immensum spatium illa conussio propagatur; cum & illud lumen longe majus apparere, si exoneratio lagena- fiat ope metalli, quam ope alias minus boni conductoris; haec, inquam, phaenomena si cum similibus in fulmine observandis comparantur, memorata illa analogia solide firmabitur.

Et majus adhuc robur nanciscetur haec opinio, si au&gtam ma-  
teriae electricae intensitatem spectemus, quam ipsi ope conge-  
ri

(b) In opere cui titulus, *Abhandlung von der Stärke der Elektrischen Kraft des Wassers in gläsernen gefäßen*, Leipzig 1746.

(c) Vid. PRIESTLEY, l. l. Tom. I. p. 150. seq.

ri*ei* plurium lagenarum Leydenium (*batteriam* vocare solent:) simul exoneratarum, exhibere valemus, cuius primam inventio-  
nem Cel FRANKLIN acceptam referimus (*d*). Ingens etenim  
electricitatis vis, quae hoc modo comparatur, phaenomena va-  
let edere, iis, quae a fulmine exhibitur, non multum inferiora,  
quorum autem identitatem postea videbimus. Quae omnia ce-  
leberrimos Physicos, & inter hos Abbatem NOLLET (*e*) per-  
moverunt, ut ex nova electricitatis doctrina fulminis explicatio-  
nem repeterent. Hoc autem jure fieri praeter omnia haec tenus  
allata, docuit quoque insignis illa analogia, quam Cel. FRANKLIN  
inter modum operandi fulminis & materiae electricae detexit,  
quod, ut illud, summos montium turriumque apices, aliaque  
loca excelsa, labentissime ferit, ita haec omnia corpora in acutos  
apices terminata, quasi ab illis attraheretur, longe facilius intrat,  
quam si alius fuerint figurae (*f*). Ex hac observatione tunc por-

(*d*) Vid. PRIESTLEY, *I. I.* Tom. I. p. 305. seq. FRANKLIN, *Lettre 4. a.*  
M. COLLINSON, §. 10, 18. seq. *Oeuvres* Tom. I. p. 24, 27. seq. editionis Galli-  
cae Doct. BARBEU DU BOURG, quae *Parisii A. 1773.* in II. Tom. forma 44  
prodiit.

(*e*) *Leçons de Physique*, Tom. IV. p. 314, 315.

(*f*) Vid. PRIESTLEY, *I. I.* Tom. I. p. 316. seq. FRANKLIN, *Lettre 21. a.*  
M. COLLINSON, *I. I.* p. 3. seq.

ro Vir Celeberrimus conclusionem duxit, posse forsan ipsum fulmen tempore procelloso e coelo elici; & ad hanc opinionem examinandam, ingeniosam excogitavit methodum, & cum aliis Physicis communicavit anno 1750. (g). Primi hanc ideam ad examen revocarunt Physici Galli ope conductoris metallici, in insula electrica positi, & in atmosphaera elevati, ut illud F R A N K L I N proposuerat; & hoc apparatus primus coelestem ignem in terram elicuit Cel. DALIBARD (h) atque hoc experimentum statim ab aliis, in Gallia, Physicis fuit repetitum. Paulo post autem ipse F R A N K L I N hypotheseos suae veritatem ulterius examinare cupiens illud alio modo tentavit, scilicet adhibito dracone volante, cui filum, ex materia conductente confectum, erat annexum (i) atque hujus ope & hic revera fulmen e nubibus elicuit. Hanc vero ideam eodem tempore fovit, & ex

(g) Vid. FRANKLIN suite de la Lettre 5. à M. COLLINSON §. 21. l. 1. p. 62, 63.

(h) Experimentum, pro Electricitatis historia semper memorabile, institutum fuit in loco, Marly la Ville dicto, a. d. 10 Maii anni 1752. Vid. PRIESTLEY J. J. Tom. II. p. 159. seq. FRANKLIN l. l. p. 105. seq.

(i) Vid. PRIESTLEY J. J. Tom. I. p. 330. seq. FRANKLIN Lettre 8. à M. COLLINSON l. l. p. 114, 115.

## 10 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

perimentis confirmavit Cl. de Romas (*k*) qui in suo apparatus stupenda phaenomena & displosionem, fulmini haud absimilem, observavit. Haec experimenta tandem plenissime demonstraverunt ipsam identitatem fulminis & materiae electricae; videlicet ope materiae, in his experimentis collectae, omnia illa experimenta, quae caeteroquin cum electrica materia instaurantur, eventu plane simili & eodem sunt instituta.

Exposita hactenus historia evidentissime jam demonstravit, fulminis & phaenomenorum electricorum causam esse unam, atque eandem, & ita haec identitas pro plane evicta haberi posset, nisi propositio, quae totius meae dissertationis fundamentum constituit, requireret, ut paulo adhuc plenius exponatur, & ad summum certitudinis gradum eveneretur.

Hoc itaque ut fiat in sequenti hujus capituli parte demonstrare conabor, *Primo*, Fulmen & electricitatem fere sensibus nostris iisdem cum phaenomenis manifestare: *Deinde* easdem leges utrumque sequi: *Tandem* utriusque effectus esse plane eosdem; Quae tria si fuerint rite demonstrata, nemini vel minimum dubium, circa identitatem fulminis & materiae electricae, amplius haerere posse, non est, quod valde dubitem.

(*k*) Vid. *Memoir. de Mathem. & de Physique présent. à l'Acad. Royale des Sciences par des Savants Etrangers. Tom. II. p. 393. seq.*

I. Fulmen itaque sese nobis iisdem cum phaenomenis manifestat ac electricitas. Quicumque vel semel splendidum fulminis lumen, cum nullo alio lumine comparandum, vidit, statim, ubi lumen, quod scintilla electrica, vel e conductore primo, vel ex lagena Leydensi onerata elicita, spargit, attento oculo considerat, confiteri debet, utrumque lumen simili prorsus ratione sese manifestare, neque unum ab altero ullo modo, nisi majori minori- ve intensitate distingui posse. Porro, fulmen nunquam fere recta via pergit, sed per aera plerumque serpentino ductu trans- fit; idem quoque in electricitate observatur, si scilicet e quodam conductore primo scintilla electrica eliciatur ad notabilem fatis distantiam, scintilla illa similem figuram habebit, in primis, si corpora alia conducentia ad varias distantias a primo con- ductore sint posita, quale quid in atmosphaera nostra semper obtinere deprehenditur. Fulmen deinde quoque concomitatur ingens ille sonus, quem Tonitru vocare solemus. Similis quoque, licet minus intensus, sonus observatur, cum erumpente scin- tilla electrica audiendus, quando lagena Leydensis exoneratur; Multo autem intensor sonus est, quando non ex exoneratione unius lagenae, sed ex congerie plurium lagenarum simul cxone- ratarum provenit, quo in casu, si congeries illa aliquanto ma- jor fuerit, sonus productus illum sclopeti minoris (*een zak- pijlvol*) aequiparare vix est.

Differentiam autem satis ingentem inter sonum, quem tonitru edit & illum, qui una cum scintilla electrica producitur, postea, ubi de ipso tonitru latius agetur, explicare conabor. Inter phaenomena, in quibus fulmen & electricitas conveniunt, etiam recensetur ingens fulminis celeritas, cuius per aëra viam nullus oculus sequi valet. Eadem velocitas quoque electricitati competit: Dudum jam hanc rem experimentis suis confirmaverunt Abbas NOLLET aliique Physici, in primis autem accurata hanc in rem experimenta instituta fuerunt in Anglia, & ex iis constituit, nullum temporis intervallum potuisse observari in transitu materiae electricae per filum 12266 pedes longum; quam celeritatem ipsius fulminis celeritati analogam esse quisque confiteri debet.

Tandem peculiaris sulphureus halitus electricam materiem excitatam semper concomitatur, idemque ille odor etiam in locis a fulmine tactis fuit observatus. Ex his itaque omni jure concludimus fulmen & electricitatem sese eodem modo sensibus nostris manifestare.

*II. Secundo, materies fulminis & electrica in agendo easdem sequuntur leges.* Fulmen enim optimos materiae electricae conductores semper sequitur. Sic illa pars aedificii, quae metallis maxime est referta, facilius a fulmine tangitur, quam alia quaecunque ejusdem aedificii pars, licet haec caeteroquin fulminis actioni magis sit exposi-

ta, & deinde in transitu suo fulmen brevissimam viam ab uno metallo ad alterum semper sequitur, & in hoc suo transitu corporibus intermediis, non ita bene ipsum conducentibus, ingens subinde damnum parat.

Huc quoque pertinet, Fulmen semper eligere corpora melius conducentia, prae aliis, quae minus boni sunt conductores; sic v. c. cum corpus animale sit melior conductor, quam lignum, dantur exempla, equos currum trahentes fulminis ictu fuisse percusso, absque ulla ipsius cursus laesione, & quae plura ejusmodi afferri possent exempla; hinc forte etiam explicanda veterum opinio, Apollini sacram laurum nunquam a fulmine tangi, quoniam scilicet arbor, particulis oleosis & resinosis, fulmen admodum male conducentibus, scatens, hujus actionem admodum raro experitur. Haec autem omnia haec tenus de fulmine dicta etiam de electricitate valent, & quotidianis experimentis confirmati solent. Porro Fulmen, caeteris paribus, cuspides altissimos & acutissimos in atmosphaera elevatos, aedium sacrarum turres, privatorum aedificiorum caminos &c. prae caeteris objectis feriendos eligit. Simili modo materiem electricam corpora in acutum apicem terminata ex longe majori distantia intrare, fatis notum est; hinc fulmen in regionibus montosis longe frequentius & magis terrible observatur quam in planis. Tandem licet fulmen & electrica scintilla a pluribus corporibus conducantur, tamen per id genus

multa libere transire haud valent, ita ut potius, quantum possunt, se in meliores conductores proximos conjiciant, si autem hoc facere nequeant, & satis virium habeant, corpora idioelectrica frangunt & dilacerant.

III. *Tertio fulmen & electricitas eisdem effectus edunt.* Hanc propositionem, aliquot allatis exemplis, illustrare & comprobare jam mihi reliquum est. Fulmen saepius corpora inflammabilia accedit, & sic maxima aedibus nostris damna parat, similem quoque vim electrica scintilla possidet, hujus enim ope varia corpora, spiritus Vini, olea, ipsum lignum, accendi possunt. Fundit deinde fulmen metalla, per quae transit, quaeque nimis tenuia ejus actioni resistere haud valent. Sic varia conductorum, qui domibus servandis inserviunt, cacumina a vehementi fulminis ictu fusa fuisse leguntur.

Materiam electricam quoque metallis fundendis, imo calcinandis, esse aptam varia probant experimenta, Franklinianum, puta, illud, ubi metallum inter duas laminas vitreas positum, operante scintillae electricae partim funditur, partim calcinatur & vitro indelebiles maculas inurit: tum & idem probant alia experimenta in quibus directe magis & ad oculum vel funditur metallum vel calcinatur, quorum evidentissima exempla habentur in descriptione experimentorum, quae ope ingenis machinae electricae Teylerianaee instituit Doct. VAN MARUM. Pertinent

huc & illi casus, in quibus fulmen aurum conclavis vel ligni alias deaurati abstulit, ipso ligno illaeſo, (l) quod phaenomenon etiam electrica ſcintilla imitatur, auferendo deaurationem libri absque ipsius libri laefione.

Fulmen aliquando arbores findit, evertit, vel earum vitam extinguit, eundem effectum Electricitatem in plantis operari docuerunt D. D. P A E T S V A N T R O O S T W Y K & K R A Y E N H O O F F (m). Fulmen quoque porro vitam animalem extinguit vel homines caecos reddit; ambo haec phaenomena pariter electricitas peragit, varia animalia ejus ope vita privari possunt & Cel. FRANKLIN refert, fefe columbam, si quam necare ope electricitatis tentabat, tantum viſu privasse, cum concuſſio ad illam plane enēcandam nimis fuerat debilis. (n) Medicatos quoque effectus electricitati proprios subinde praestit fulmen, quod W E N D E R U M quendam Ecclesiastem Angulum, a paralyſi revocavit. (o)

Deinde si vel haec omnia non ſufficerent ad veram identitatem

(l) Talem casum omni attentione dignum retulit Doct. DE SAUSSURE V. Journal de Physique 1774. Tom. I. p. 442. seq.

(m) l. l. §. 30.

(n) Suite de la Lettre 5. à M. COLLINSON §. 22. l. l. p. 63.

(o) P A E T S V A N T R O O S T W Y K & K R A Y E N H O O F F l. l. §. 31.

## 16 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

materiae fulminis & electricae plenissime demonstrandam, certo tamen certius hoc ficerent illa experimenta electrica, quae ope fulminis e coelo eliciti a pluribus Physicis instituta leguntur; corpora enim per hanc materiem electrifata non solum alia corpora attrahunt & repellunt, sed quoque lagenam Leydensem onerare valent; verbo omnia experimenta cum iis institui possunt, quae caeteroquin machinarum electricarum ope peragi solent. Quae cum ita sint, cum fulmen & electricitas sese nobis sub iisdem phaenomenis manifestent, cum easdem leges sequantur, eosdem effectus praestent, cum, tandem, experimenta plane similia & identica cum utraque instituantur, nunc nullum dubium videtur posse superesse, quin fulmen & electricitas pro eadem re, gradu tantum diversa, sint habendae. Verum nunc merito forsitan quis dicat, nos sic quidem scire fulminis & electricitatis causam esse unam eandemque, nihil tamen, hac ratione, de ipsa illa causa communi, quaenam sit? constare. Sed hic, uti in plurimis aliis casibus scientiae nostrae limites, saltem hucusque, agnoscere debemus, phaenomena, quae haec causa electricitati & fulmini communis edit, cognoscimus, ipsius autem causae naturam ignoramus: unicum, quod haec phaenomena huc usque de natura suae causae docuerunt, hoc est: illam quaerendam esse in fluido subtilissimo, maxime elastico, per omnia corpora, in statu naturali aequabiliter distributo. Hu-  
jus

ius disruptum naturale in omnibus corporibus aequilibrium omnia phaenomena electricitatis, tum naturalis, tum artificialis edit: dum ipsum fluidum *electricum* vocari solet. Hoc autem utrum simplex, an ex aliis & quibus compositum sit, cum perparum ad ulteriorem nostrae materiae illustrationem conducere videatur, hic non inquiremus, sed relinquemus potius examini eorum, qui Chemiae Physicae recentissimis observationibus admodum amplificandae & solide stabiendi haud infeliciter operam dare solent. Atque sic ad ipsum fulmen, Theoriae electricae ope, explicandum progredi possum. Hoc autem ut rite fiat imprimis accurata requiritur notio actionis atmosphaerarum ita dictarum electricarum: hanc itaque pro virili, in antecessum, sequenti capite exponere conabor.





qui gravitatem corporis invenimus considerans quia  
vis propinquans electicitatis cum locutione cum actione vis

---

ad eius & duplae compositionis cum peribitione

## CAPUT SECUNDUM.

### DE ACTIONE ATMOSPHAERARUM ELECTRICARUM.

**O**mne corpus electrifatum suos effectus per aliquam distantiam extendit, neque opus est, ut corpora alia illi directe admoveantur, ut in illa sua electricitate agat: distantia ad quam hi effectus eduntur pro varia corporis electrifati superficie, & vario electrificationis gradu, differt. Vocatur spatium hoc, in quo corporis electrifati effectus sunt sensibiles, *atmosphaera electrica* hujus corporis. Dari talem atmosphaeram varia experimenta demonstrant; praeterquam enim, quod corpora alia ad quandam a corpore electrifato distantiam posita attrahuntur & repelluntur, manifesto indicio, dari ibi aliquid ea ad corpus illud electrifatum pellens, etiam ad oculum illa atmosphaera egregie potest demonstrari. Si nimirum antiae pneumaticae imponatur cylindrus vi-

treus,

treus, amplius, siccus, tectus operculo aeneo, cui globus aeneus diametri duorum circiter pollicum, styli aenei ope, adhaeret, si que tum supra orbem ipsius antliae pariter erigatur stylus, aequali globo aeneo instructus, ita ut unus globus ab altero quatuor ferme pollices distet, tunc si positive electrifetur operculum recipientis, aëre exantliato, globus superior cernetur lucida atmosphaera electrica cinctus. Sin autem operculum negative electromensus, atmosphaera illa inferiorem globum cingens apparebit. (a). Liceat autem ad hoc experimentum in transitu notare, illud eos valde in angustias adducere debere, qui cum Cll. SYMMER, WILCKE, KRATZENSTEIN aliisque, duas materias Electricas assumunt, quae singulae cum electricitate positiva Frankliniana convenient; quod si verum esset, in altera experimenti parte, ubi videlicet operculum recipientis negative electrifetur, atmosphaera electrica non inferiorem sed omnino superiore globum investire deberet, quod tamen experientiae omnino contrarium deprehenditur. Sed redeamus ad ipsarum atmosphaerarum electricarum considerationem, & primum videamus, quid in corpore positive electrifato obtineat. Corpus omne positive electrifatum majorem materiae electricae quantitatem continet, quam in statu suo naturali, undiquaque autem cingitur aëre,

(a) Vid. CAVALLO Abhandlung von der Electricität Leipzig 1779. p. 156.

aëre, corpore idioëlectrico: Jam autem scimus, omne corpus idioëlectricum materiem electricam vel plane non, vel admodum difficulter saltem, per suam substantiam transmittere, neque electricitatem ab alio corpore electricato recipere posse, nisi in illis punctis in quibus immediate corpus illud electricatum tangit.

Jam haec ad aëra, corpus electricatum ambientem, applicemus. Statim ubi corpus electricari incipit singulae aëris ambientis particulae aliquam electricitatis partem in se recipiunt, hancque iterum parti magis distanti tradunt, & ipsae novam sumunt: & hoc sepe tantum extendit quantum natura aëris non conducens illud patitur: aër itaque corpus positive electricatum ambiens ipse positive electricatur, sive, quod eodem reddit, atmosphaera corporis, positive electrici, est positiva (b). Ubi autem corpus quoddam fuerit negative electricatum & aëre cinctum, illud propter ingentem attractionem inter materiam Electricam & alia corpora, undique naturalem suam materiae Electricae quantitatem recuperare conabitur, & hinc a singulis aëris particulis, quae in statu naturali versantur, & quibuscum in contactu venit, aliquam electricae materiae quantitatem abripiet; particula haec aëris ita quoque negative electrica facta ab ambientibus iterum quandam electricitatis partem accipiet, sic hae quoque fient.

ne-

---

(b) Conf. Milord MAHON *Principes de l'Electricité*, Londres 1781, §. 7.

negative electricae, & quidem eo usque, quo illud natura aëris idioelectrica permittit, sicque erit atmosphaera corporis negative electricati pariter negativa (c).

Jam autem, his positis, videamus quid corpora positive vel negative electricata suis atmosphaeris in alia corpora anelectrica, in eorum atmosphaeram introducta, efficere valeant: incipiamus iterum a corpore positive electricato. Si corpus anelectricum, non electricatum, & in insula electrica positum, corpori alii positive electricato admoveatur ad illam distantiam, ut scintilla electrica a corpore electricato in non electricatum transire nequeat, ita tamen, ut aliquantum in corporis electricati atmosphaeram introducatur, illa corporis non electricati pars, quae, corpori positive electricato proxima est, electricitatem hoc in casu negativam acquiret, pars autem maxime a corpore electricato remota positivam nanciscetur, absque eo, ut quantitas absolute materiae electricae in corpore non electricato vel angeatur vel minuatur: sive corpus illud separatione electricabitur, manente summa ipsius electricitatis eadem, quae fuit in statu naturali. Hasce nunc propositiones primum ratiocinio, ex natura materiae electricae deducto, deinde ipsis experimentis confirmare conabor.

Quod

---

(c) MAHON I. 7. §. 8.

## 22 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

Quod ad primum attinet, Corpus anelectricum non electricatum, insulatum, ubi in positivam corporis positive electricati atmosphaeram introducitur, propter insignem vim repellentem materiae electricae, pars electricitatis corpori, atmosphaerae immerso, naturalis a positiva atmosphaera ambiente repelletur versus partem maxime remotam. Atmosphaera enim positive electrica, corpus illud non electricatum ambiens, conatur in illud intrare, & ideo omne id, quod sibi aditum paecludit, removere initur. Jam pars naturalis electricitatis, quae in corpore illo continetur, maxima vi sua elistica repellente, introitui ipsius atmosphaerae obstat, haec autem electricitatis naturalis corporis non electricati pars, quae ex parte corpori electricato proxima pulsa fuit, nunc naturaliter tendit ad partem opositam ejusdem corporis, ibique jungitur cum portione [naturali electricitatis hujus partis, adeoque hanc partem facit positive electricam, dum alia pars corpori positive electricato proxime admota negativam electricitatem acquirit. Verum inter duas has oppositas corporis non electricati partes, quarum una, nunc negative, altera positive electrica facta est, dabitur locus quidam intermedius, ubi electricitas positiva in negativam transit, qui locus non apparabit electricatus, sed in statu suo naturali. Neque tamen propter vim aëris idioelectricam resistentem materies electrica, vel ex aëre in corpus, vel ex corpore in aëra transfire valebit: ita ut summa

elec-

electricitatis hujus corporis electrifati necessario eadem manere debeat, & si illad ex atmosphaera corporis electrifati removeatur, nulla amplius electricitatis signa exhibere poterit; propter elasticitatem enim summam materiae electricae omnia tunc statim in naturalem statum redibunt.

Jam autem videamus, quid fieri debeat, si atmosphaera corporis electrifati loco positivae sit negativa, manentibus caeteris paribus. Tunc, propter vim elasticam fluidi electrici, aequilibrium deperditum continuo restaurare nitentis, pars quaedam electricitatis naturalis corporis anelectrici, non electrifati, pelletur versus illam hujus corporis partem, quae conductori, nunc negative electrifato, proxima est, ibique fluidum electricum naturale hujus corporis accumulabitur, quoniam autem aer ambiens materiem electricam non conducit, exire non poterit; erit itaque haec pars positive electrica. Verum fluidum electricum hujus corporis in una ipsius parte accumulari non poterit, quin ex altera parte abeat & haec pars negative fiat electrica, quod igitur hic quoque obtinebit & pars corporis non electrifati, a corpore electrifato maxime remota, fiet negative electrica, cum nullam ex aere ambiente idioelectrico materiam electricam haurire possit, & hic iterum, ubi electricitas positiva in negativam abit dabitur aliquod punctum in quo corporis electricitas erit in statu naturali.

Nunc autem ex his propositis generales regulas colligamus,

ut,

ut, iis ad ipsa experimenta expensis, earum veritas vel falsitas patere possit. Regulae generales ex dictis deducendae, erunt hae.

Si corpus anelectricum, non electrifatum, insulatum, in atmosphaeram corporis aliis, vel positive vel negative electrifati, introducatur:

1°. Corporis hujus pars, electrifato corpori proxima, electricitatis speciem acquiret, contrariam illi, quae in corpore electrifato viget.

2°. Pars autem, a corpore electrifato maxime remota, similem cum eo electricitatis speciem nanciscetur, &

3°. Inter duas has electricitatis species dabitur punctum intermedium, ubi nulla electricitatis signa apparebunt (quod itaque comparari poterit cum illo punto alicujus lineae curvae, in quo ordinata ex positiva fit negativa, id est, in quo ordinata est = 0); neque tamen,

4°. Corporis anelectrici non electrifati portioni electricitatis naturali aliquid vel accedit, vel ab eo recedet, sed sola separatione suae materiae electricae naturalis electrifatum apparebit.

Hasce jam regulas experimentorum ope ad examen revoce-  
mus, & hic illa experimenta adducere liceat, quae hac de re in-  
stituit Nob. MAHON, quibus expositis, nulla amplius hac de  
re dubia, me saltem judice, superesse poterunt (*d*).

Ad-

---

(d) Vid. MAHON *I. I. §. 76 — 99.*

hunc Adhibuit Vir Nobilissimus in suis experimentis conductorem  
cupreum cylindricum, perfecte insulatum, cuius longitudo una cum  
dimidiis, quibus terminabatur, sphaeris erat 3 ped. 4 poll., dia-  
meter autem circiter  $3\frac{1}{2}$  pollicum, cuius alterum extremum di-  
recte conductori primo machinae electricae erat obversum &  
ab eo per 3 plerumque pedes distabat. Conductore machinae  
jam positive electrifato, & alio conductore in ipsius atmosphae-  
ram immerso, priori conductori ad aliquam distantiam admovit  
globulum suberinum, ex filo lini tenuissimo suspensum: hic itaque  
globus, si vera sit proposita Theoria, negative electrifari debebat,  
illum jam globum sic electrifatum, remanendo in ipsa conducto-  
ris machinae atmosphaera positiva, extremo alterius conducto-  
ris, priori proximo, admovit, a quo valide repulsus est, manifesto  
itaque indicio, electricitatem hujus extremi quoque negativam  
fuisse, uti in Theoria erat positum; dein eundem huncce glo-  
bulum extremo hujus conductoris, a conductore primo machinae  
maxime remoto, obtulit, a quo valide est attractus, indicio hu-  
jus extremi electricitatem esse positivam; deinde longitudinem  
secundi conductoris continuo, tentando, sequens, invenit punctum,  
cujus electricitas erat nulla, nec positiva, nec negativa, ibi enim  
filum electrometri vices agens nec attrahebatur nec repelleba-  
tur. Deinde plura adhuc talia experimenta cepit cum aliis  
electrometris. Horum omnium idem fuit eventus: ea autem hic

loci recensere longius nos a scopo abduceret, haec itaque apud ipsum Auctorem loco citato legantur: Nos autem hinc concludamus, Theoriam datam, tot experimentis confirmatam, tuto jam pro rite demonstrata posse assumi, & in usus nostros converti.

Ita eae conjugatioi binio specieis elegitiose sive ope  
sp. eo hec & bicimedes beatis ciliis per. Conjugatioe ms prie  
lise polyciae elegitioe, & alio conjugatioe in iuncte aequalib[us]  
tum inveniatur, prius conjugatioi sibi sive aequalib[us]  
glopulari supponitur, & illi in seculis, & in aliis  
glopulari, si aera ut birobozis Theozis, dcessu aequalib[us] separari,  


Ita, prius birobozis, sive aero aequalib[us] recipitur ex, inveniatur  
tarduo indicio, elegitiose interius exterius, dordre negavit  
tarduo, ut in tunc sit, polycia; eti[us] mundus inveniatur glos-  
pulari, exinde illas conjugatioe, a conjugatioe binio specieis  
maxime temere, opacissim, & adeo levius, ut sitatius, indicio pa-  
tienti, elegitiose interius exterius, eti[us] polycia; dordre negavit  
secondi conjugatioe conditione, scilicet, secundis, inveniatur glos-  
pulari, elegitiose interius exterius, nec polycia, nec levior, id est  
nullum elecitioem, accedit, quae nec aequalib[us], nec iugulari  
est. Deinde postea quaevis talis experientia, cedebit cum suis  
speciem. Hoc autem iugulari, non sicut, sed

**CAPUT TERTIUM.**

**GENERALIS FULMINIS DESCRIPTIO, ET INVARIAS SPECIES DISTRIBUTIO.**

**A**d ipsam fulminis explicationem jam transiturus liceat phaenomeni, ut plerumque observatur, descriptionem a Rev. Patre BECCARIA desumtam, hic loei praemittere (*a*). Primum phaenomenon tempestatis, quae plerumque oritur, ubi debiliter aut nullus ventus adest; densa est nubes, vel & plures, quae citissime magnitudine crescunt, & in altiores atmosphaerae tractus elevantur. Inferior nubis superficies atra est & fere plana;

(*a*) Descriptionem hanc dedit in opere, cui titulus, *Lettre dell' Elettricismo*; cum autem illud opus mihi ad manus non erat, illam deponsum ex versionibus Doct. PRIESTLEY in *Histoire de l'Electricité* Tom. II. p. 183. seq. Doct. DONNDORF in opere cui titulus *Die Lehre der Electricität &c.* II. Th. p. 507. seq.

superior autem perfecte fornicata & accurate terminata. Sae-  
pius plures ejusmodi nubes sibi invicem superimpositae viden-  
tur, omnesque eodem modo sunt fornicatae; Deinde autem  
uniuntur, intumescunt, & earum fornices extenduntur. Eodem  
tempore, quo haecce nubes surgit, atmosphaera plerumque se-  
paratis, immobilibus nubibus repleta est, quae figuram admo-  
dum singularem & inconsuetam habent. Hae omnes appropin-  
quante nube procellosa, sese ipsi jungere nituntur, earumqne  
figurae aequabiliores fiunt, quo propius ab illa absunt, donec,  
ubi admodum prope ad nubem procellosam accesserunt, earum  
partes sese supra se invicem extendunt, quo facto, statim jun-  
guntur, & jam non nisi unicam massam aequabilem constituant.  
Has nubes *adventitias* vocat Doct. BECCARIA, cum ad nubem  
procellosam augendam adveniant.

Aliquando autem procellosa nubes intumescit, & citissime  
magnitudine crescit, nec tamen cum ullis adventitiis nubibus  
jungitur. Dum, scilicet vapores, in Atmosphaera haerentes,  
ubicunqne nubes procellosa transit, ipsi in nubes coguntur.  
Nonnullae harum nubium adventitiarum ad margines, vel infra  
corpus nubis procellosae, fimbriarum albarum ad instar, appa-  
rent. Continuo autem eo magis fiunt caliginosae, quo propius  
ad illam accidunt, ut sese illi jungant.

Ubi nubis procellosa notabilem magnitudinem nacta est, infe-

rior ejus superficies saepe aspera apparet, dum nonnullae partes terram versus detrahuntur, ita tamen, ut cum tota adhuc cohaereant. Aliquando inferior pars in plures majores protuberantias intumescit, quae uniformiter terram versus tendunt, & saepius totum nubis latus inclinatur versus terram, quam ipsius extremum fere tangit. Si oculus infra nubem procellosam, ubi haec magna, & rite formata evaserit, positus sit, videtur illa descendere & admodum obscura fieri, eodemque tempore varias parvas nubes adventitias, quarum origo nunquam observari potest, cernimus celeri motu & incertis directionibus infra eam circumagi. Dum hae nubes celerrime moventur plerumque copiosissima cadit pluvia, & si agitatio admodum est violenta, fere semper etiam grando observatur.

Dum nubes procellosa intumescit, & ejus rami supra magnam regionis partem extenduntur, fulmen ab una ejus parte ad alteram ferri videmus & ab eo saepius totam ejus massam illuminari. Quando autem nubes sufficientem acquisivit extensionem, fulmen terram inter & nubem in duobus oppositis locis erumpit, ita ut ejus vestigia in toto nubis corpore hujusque ramis appareant. Quo diutius fulmen illud durat, eo tenuior & minus obscura nubes evadit, donec tandem in pluribus locis rumpitur & serenum coelum transparet. Ubi nubes procellosa tali modo fuit dispersa, illae partes, quae superiores atmosphaerae tractus occupant,

uniformiter extenduntur & admodum tenues evadunt; quae inferiori loco sitae sunt atrae sunt, tenues tamen, & sensim dissipantur, dum tamen nullus ventus eas dispergit.

Fulmen hoc, cuius nunc brevem descriptionem dedimus, variis modis sese manifestare potest. In ipsa descriptione duo tales, inter se diversi, modi jam occurunt, vel scilicet fulmen inter nubes iphas erumpit, vel has inter & terram. Deinde recentiores observationes docuerunt, fulmen non tantum e coelo ad terram descendere, sed saepius quoque e terra ad coelum ascendere, idque iterum duplice modo fieri; vel ipsam explosionem principalem e terra prodire, vel simul ac haec in uno loco de coelo in terram decidit, eodem tempore in alio loco fulmen a terra ad coelum redire, quam explosionem *redeuentem* (*returning stroke*) dixit Nob. MAHON. Deinde quoque a fulmine directo in suo transitu pars quaedam ejus lateraliter aufugere potest, & sic explosionem lateralem formare. Ut itaque de his omnibus rite agere possum, sequentem ordinem observabo, scilicet.

*Primo* agam de fulmine directo, quod ab una nube procellosa in alteram fertur.

*Secundo* de Fulmine directo inter nubes atque terram.

*Tertio* de Explosione redeunte.

*Quarto* de Explosione lateralii; dum tandem,

*Quinto* examinare conabor, num & aliae causae ad fulmen formandum subinde concurfant.

C A-

primis extemis elegeritis & hanc, aitio tempore  
longiori, electricitate, cum diabolis vobis, cum hiscione  
totum obi mittere (c) possunt, immobilitatem periculum  
eis posse eleveri, tempeste temere confundit, dum illi

## CAPUT QUARTUM.

### EXPLICATIO PHAENOMENORUM FULMINIS.

I. Prima ergo, quae hic explicari debet, Fulminis species,  
ea est, quae obtinet, dum inter varias nubes procellosas erum-  
pit fulmen. Verum in ipso hujus disquisitionis limine forsan  
aliquis dicat, capite primo assertum fuisse, omnia electricitatis  
naturalis (fulminis) phaenomena a disrupto aequilibrio electri-  
cae materiae, per universa corpora caeteroquin aequabiliter di-  
stributae, pendere, jure itaque postulari posse, ut ille, qui  
haec phaenomena explicare nititur, in antecessum demonstret,  
aequilibrium electricae materiae saepius esse disruptum: deinde,  
ut indicet, undenam haec aequilibrii disruptio oriatur. Ad  
priorum hujus quaestione partem, hic loci, ex observationibus  
respondere conabor, dum alteram partem ad hujus dissertationis  
finem potius differam, ibi aliquanto accuratius tractandam.

Plu-

Plurima experimenta electrica a multis, vario tempore de atmosphaerae electricitate, tum draconis volantis, tum Electromotorum ope instituta (*a*) docuerunt, atmosphaeram plerumque esse positive electricam, tempore sereno constantius, quam nubilo; tempore autem vario, quando ningit, pluit vel grandinat electricitas vel positiva vel negativa est & gradus vigoris, quo gaudet, maxime differt: scilicet dum positiva est electricitas, nube obscura appropinquante & transiente, sensim fit negativa, cum haec autem transit iterum positiva evadit: quae variationes maxime aestate, tempore procelloso obtinent. Porro positivam quidem saepe esse atmosphaeram integrum, nunquam autem negativam, scilicet negativa electricitas nunquam nisi in nubibus quibusdam, & his vicina atmosphaerae parte observatur, dum reliqua atmosphaerae pars positiva est & valide electrica; eadem denique nubes raro, per totum suum ambitum, eadem electricitatis specie gaudet; haec enim plerumque, dum transit nubes, ex positiva in negativam vertitur.

Jam autem videamus, quomodo hae observationes ad nostrum scopum applicari queant. Si detur aliqua nubis procellosa a quacunque causa majorem vim positivam habens, quam altera (*dari*

(*a*) CAVALLO. I. l. p. 250 — 252. PRIESTLEY. I. l. Tom. II. p. 220. seq.  
PAETS VAN TROOSTWYK & KRAYENHOFF I. l. §. 41. & 44.

talem nubem posse allatae observationes confirmant, dum, quomodo id fiat, deinde inquiremus) haec secundum ea, quae Cap. II. dicta sunt, in alteram sibi vicinam nubem suâ atmosphaerâ aget, & in parte sibi proxima in hac electricitatem negativam excitabit, in parte vero a se maxime remota positivam electricitatem efficiet. Haec secunda nubes, ita ab una parte valide positive, ab altera valide negative electrica, itaque in aliis nubibus similem materiae electricae transpositionem efficere valebit, haec iterum in aliis, & hoc tamdiu durabit, donec in viciniis harum nubium omnes nubes pari fere gradu fuerint electricae factae. His ita positis, a mutato vento, vel alia quacunque de causa, directio harum nubium, sic valide electricarum, mutetur. Nunc partes harum nubium, oppositis electricitatis speciebus instructae, sibi invicem obvertentur, & in illa parte, ubi directionis mutatione incipit, proprius ad se invicem accedere debebunt, hunc autem accessum longe faciliorem reddet insignis inter positivam & negativam electricitatem attractio, quae tamdiu durabit, donec distantia inter ambas nubes facta sit satis exigua, ut scintilla electrica, sive fulmen, inter illas erumpere possit, & sic materiae electricae aequilibrium restitui; hoc autem in una nube restituto, eadem de causa illud successively in omnibus nubibus restituetur, donec illae omnes aequalem positivam vim acquisiverunt. Et veram hanc phaenomeni explicationem esse etiam adhuc magis patere

poteſt, ſi conſideremus obſervationem, quam ex Rev. BECCARIAE deſcriptione Cap. III. attulimus: Scilicet fulmen, priu- quam e nubibus in terram fertur, totam nubem procelloſam ab unaparte verſus alteram permeare, quod fit, dum variae mi- nores nubes in unam majorem conjunguntur, & omnium harum nubium ſingularium electricitas per totum nubis procelloſae cor- pus aequabiliter diſtribuitur. Verum de hac fulminis ſpecie, quae inter plures nubes procelloſas obſervatur jam ſatis ſuper que dictum eſt; tranſeamus itaque ad alteram fulminis directi ſpe- ciem, quae inter nubes & terram erumpit.

II. Hoc autem Fulmen directum vel e coelo terram verſus, vel e terra in coelum erumpere potheſt: utrumque caſum exami- nemus.

Ubi nubes procelloſa, quemadmodum vidimus, inſignem acqui- fivit amplitudinem, & omnes ejus partes eandem electricae ma- teriae quantitatē receperunt, aequilibrio electrico inter illas reſtituto, ſive, ubi integra nubes aequalē electricationis gra- dum acquisivit, jam ingentibus, maximisque viribus pollet. Demonſtrant illud illa phaenomena electrica, quae, ipſi fulmini- fere aequiparanda, dracones volantes, tali nubi appropinquati, edunt, quorum effectuum jam admodum notabile exemplum in caſu, Cl. DE ROMAS Cap. I. attulimus. Talis itaque nubes atmosphaeram quoque habebit, ad maximam diſtantiam exten- fam,

fam; & quidem adeo, ut telluris superficies, supra quam illa nubes movetur, ipsius atmosphaerae, ad notabilem profunditatem sit immersa, quod nemini mirum videbitur, qui magnam distantiam, ad quam nostrorum conductorum majorum atmosphaerae fere extendunt considerat, quique simul ad ingentem magnitudinem nubis procellosae attendit, eamque cum conductorum nostrorum, etiam maximorum, extensione comparat.

Superficies itaque telluris ab atmosphaera hac positiva negative electricabitur, & hoc, ita fere habere, mihi abunde testari videntur omnia phaenomena electrica, quae tempore procelloso, a virgis metallicis, in atmosphaera erectis, minime tamen ad ipsam nubem procellosam fere extendentibus, eduntur. Quando jam actione atmosphaerae nubis superficies telluris negative electrica fuerit facta, ipsa nubes, quippe positive electrica a tellure attrahetur, & eo quidem fortius, quo major materiae, electricae quantitas in nube sit accumulata, & quo magis illa materia a nubis atmosphaera positiva de telluris superficie fuerit repulsa. Dum autem nubes sic versus terram fertur eruptio fulminis facilitatur & acceleratur, si alicubi fuerit pars quaedam supra telluris superficiem elevata, quae materiae electricae praebet conductorem meliorem, quam caetera vicina objecta. Materies enim electrica nubis in loco, huic parti elevatae directe imminente, magis quam in reliqua nube accumulabitur,

propter majorem attractionem, quam haec pars elevata in positivam nubis electricitatem exercet, donec tandem satis densa ibi adsit, ut resistentiam aëris idioelectrici vincat, & per illum sibi viam ad illud objectum elevatum paret, quae explosio *Fulminis* nomine venire solet. Et hoc quando obtinuit aequilibrium electricum, tellurem inter atque istam nubem, saltem pro parte, restituitur. Verum, restituto tali modo aequilibrio, tamen post breve intervallum fulmen iterum e coelo in terram decidit, cum tamen fulmen locum habere non possit, nisi disrupto aequilibrio inter electricitatem telluris atque nubium. Haec difficultas autem facile solvitur: Primo enim probabile non est, totam electricitatem positivam nubis per unam exonerationem fuisse exhaustam, sed, hunc in finem, plures requiri videntur exonerations. Confirmat hanc explicationem constans observatio, in lagena Leideni jam exonerata semper, saltem ubi atmosphaera aliquanto siccior est, aliquam adhuc onerationem remanere, quae adhuc levem scintillam & concussiōnem excitare valet; deinde, si vel haec explicatio non succedit, difficultas tamen quoque disparebit, si consideremus, nubem illam procellosam, ex qua explosio facta fuit, telluri satis propinquam fuisse, & probabiliter, alias adhuc nubes, materia electrica foetas, supra se positas habuisse; harum itaque nubium series electrica, dum inferior nubes adhuc erat onerata, per hu-

hus atmosphaeram fuit repulsa, adeoque illae, in parte superiori positive, in inferiori negative, electricae erant; ubi autem nubes inferior in terram exonerata est, nubes superiores, quae tantum divisione electricatae erant, nunc in pristinum statum redeunt, & respectu nubis jam exoneratae & telluris, positive erunt electricae, adeoque denuo suam materiem electricam in terram deponere poterunt, & sic novae fulminis explosioni occasio nasceretur. Quibus omnibus accedit & hoc primarium, aeris, maximam partem nubis constituentis, naturam idioelectricam non permettere, ut nubes, simul & semel, totam suae electricitatis copiam deponant.

Fulmen diximus quoque e terra in coelum erumpere posse, restat itaque, ut hoc examinemus; & hac in re, primum ipsius phaenomeni rationem reddere, deinde difficultates, quae illi fore obmoveri possent, solvere conabor.

Si nubes quaedam procellosa, loco positivae, negativam habet electricitatem, haec, uti in Cap. II. demonstravimus, quoque negativam habebit atmosphaeram, quae in telluris, non electricatae, superficiem agit, & hujus naturalem materiae electricae quantitatem versus superiora attrahet, quae ergo in superficie ipsa ita accumulabitur, ut haec nunc valide positive electrica sit: in eo statu negativa nubes a tellure valde attrahetur, donec, occasione data, superflua materies electrica, in telluris

superficie adiuta erumpat, & aequilibrium electricum terram inter & nubem restituat, quo in casu manifestum est, fulmen jam non in terram descendere, sed e terra ad coelum adscendere. Et hancce fulminis speciem non esse figmentum quoddam, sed revera saepius obtinere plures observarunt. Unam alteratve observationem adduxisse non abs reterit. Dom. Mourgue narrat, saeviente tempestate, post plures fulminis ictus, quae e coelo in terram penetraverant, subito esse visum lumen vividissimum, auditumque simul Tonitru intensissimum, quod lumen a terra, coelum versus adscendere videbatur sub forma columnae igneae, angularem speciem, sicuti ipsum Fulmen, monstrantis. Adscensus autem hujus fulminis e terra, ad coelum magis adhuc confirmabatur per notabiles effectus, qui in loco, ubi ille fulminis radius visus erat, in almo obserabantur. Hujus plures radices superficiariae e terra erant evulsae; terra, qua tegabantur, erat eversa, & plantae versus arborem projectae. Arboris cortex hic illic abrasus erat, & frusta corticis superiori parti arboris adhaerebant. Folia quoque in inferiore parte erant combusta, dum superior pars viridem colorem egregie fervaverat. Talem quoque casum fese vidisse referunt D. D. PAETS VAN TROOSTWYK & KRAYENHOFF (b). Scilicet, 21

(b) I. l. §. 50. not. a.

mensis Julii hora secunda pomeridiana, domus quaedam percutebatur iectu Fulminis, quod primum e fundamentis erumpet, deinde, secundum ligneam domus frontem, ad altitudinem quatuor pedum adscendebat, ubi reperiebatur fenestra, cuius vitra plumbō, in situ suo, retinebantur, quod in pluribus locis fundebatur, vitris aliquot diffractis. Duae feminae prope fenestram sedebant, quarum altera leviter in femore, brachio & humero percutebatur, dum praeterea quoque ipsius capitis crines, tum & supercilia, parum adurebantur. Interim fulmen non illam solam percutisse videbatur, quoniam ejus vestigia etiam reperiabantur in margine ligneo, & antipagamento vicinae portae; inde fulmen transiit tabulatum, juxta tectum stramineum ad summam domus partem adscendit, ubi strictura metallica (een over haan) erat collocata, quam dejecta: inde autem statim versus nubes elatum esse videtur.

Atque illos effectus fulminis adscendentis tribui debere, maxime verosimile reddit.

Herbas ad partem inferiorem frontis domus esse sublevatas, in eo loco, ubi fulmen primum apparuerat.

2º Segmina frontis fenestrae, & antipagamenti portae, sursum fuisse sublata, & unice in parte supraemam cum reliquis cohaesisse.

3º Foramen in tabulato factum ab inferiore parte fuisse laeve,

dum

dum a superiore pluribus segminibus erat refertum. Atque haec omnia attento observatori, manifesto, ni fallor, indicant, hic adfuisse vim, quae ab inferioribus ad superiora tendebat. Fulmina e loco quodam paludosso erumpentia, dum in Observatorio Regio Parisiensi versabatur, se aliquoties observasse mihi narravit Cl. Promotor. Unum adhuc addere liceat exemplum, quo, ut mihi quidem videtur, constare possit, fulmen, de quo hucusque locuti sumus, ab ea fulminis specie, de qua mox agendum erit, reapse differre. Scilicet, 8 mensis Januarii Anni 1777, teste D. RAYMONT, coelo, paucis nubibus exceptis, admodum sereno, veterinarius quidam, ferrum aliquod supra incudem cudens, a tergo suo magnum quendam fragorem, non absimilem illi, qui a majori sclopeto edi solet, audiebat, simulque radium ignis e terra adscendentem videbat, qui statim dispergebatur.

Verum objiciat forte quisquam, haec non ita bene congruere cum iis, quae, in initio hujus Capitis, de Statu Electricitatis Atmosphaericæ dicta sunt: ibi scilicet affirmari, ex omnibus observationibus colligi posse, Atmosphaerae Electricitatem nunquam non esse positivam, fieri itaque non posse, ut detur nubes negativa, quae ex tellure suam materiae electricae quantitatem recuperare debeat. Ast ibidem quoque, in explicatione fulminis inter diversas nubes erumpentis, ostensum fuit, a nubibus, vehementer positive electricis, alias nubes, in vicinia positas, fieri

fieri divisione electricas, scilicet partem, nubibus positivis obversam, fieri negativam. Si jam ingens nubium procellosarum volumen, adeoque ingentem materiae electricae, quae in iis accumulari potest, quantitatem spectemus, facile apparebit, nubium positivarum atmosphaeram se adeo late extendere posse, ut nubes aliae, earum actione in una parte negative electricatae, in superficiem telluris agere possint, & ab hac, illa actione positive electricata, dicta ratione fulmen recipere, priusquam nubes tam prope ad se invicem accedant, ut fulmen inter illas ipsas erumpere possit. Atque ita dubium hoc satis bene & facile tolli posse videtur.

III. Ad ultimam denique fulminis speciem explicandam transfeo, illam videlicet, quae obtinet, quando fulmen e terra ad coelum redit ab una parte nubis procellosae, dum, eodem tempore, ab altera parte nubis fulmen e coelo ad terram emittitur.

Primus hujus Fulminis accuratam Theoriam exhibuit, jam saepius memoratus Nob. MANON (c), qui admodum egregie hac de re egit, eamque plurimis experimentis illustravit. Is hancce Fulminis speciem *percussionem redeuntem* (*returning Stroke, choc retournant*) vocavit. Primum aliud de Theoria, a Nob. Viro proposita, videamus. Quando corpus quoddam, quod B

(c) Vid. *Principes d'Electricité.*

vocabimus, actione atmosphaerae electricae alius ejusdam corporis A, electrifatur, absque eo, ut scintilla electrica a corpore A ad corpus B transeat, corporis illius B pars, corpori A obversa, contrariam ab illo electricitatis speciem habebit, in parte autem opposita, eandem. Haec in Capite II. satis sufficienterque sunt exposita.

Verum si, rebus ita manentibus, e corpore A per aliud quoddam corpus, in vicinia positum, scintilla electrica eliciatur, tunc simul, eodem momento, atmosphaera electrica corporis A abibit, & illud jam non nisi naturalem suam materiae electricae quantitatem habebit. Verum electricitas corporis B, quaetantea, actione atmosphaerae corporis A erat divisa, nunc, cesse fante illa actione, in pristinum statum redire debebit. Illa autem aequilibrii electrici, in corpore B, restitutio momentanea erit, & vehementi admodum cum impetu fiet, eodem enim temporis momento obtinebit, cum per corpus tertium scintilla electrica e corpore A fuit elicita, dum ipsa divisio materiae electricae, in corpore B, sensim sensimque facta erat.

Jam vero ponamus tertium quoddam corpus C adessē, quod quam proxime corpori B sit admotum; dum itaque, electrifato corpore A, per ipsius Atmosphaeram corpus B electrifatur, illud jam in illo suo extremo, quod corpori C obvertitur, occasionem habebit suam materiam electricam, in illo extremo, jam abun-

abundantem ipsi corpori C tradendi, vel deficientem ab illo recipiendi, prout scilicet corpus A vel positive vel negative fuerit electrifatum, & sic utramque corpus, tum B, tum C, electrifabitur. Sed si nunc scintilla electrica e corpore A subito eliciatur, debebit in corporibus B & C eodem momento aequilibrium electricum restitui. Haec autem restitutio jam non uti in priori casu tacite fieri poterit, sed scintilla electrica inter corporum B & C obversa extrema erumpet, quae scintilla jam proprie, *percussionis redeuntis* nomine, venire solet. Atque haec scintilla longe magis pungit, quam quaelibet alia, inter corpora diversimode electrifata erumpens.

Atque proposita hæc Theoria non solum ratiociniis, ex natura materiae electricæ, & ejus aequilibrii disruptione, diductis nititur, verum etiam ipsis experimentis solide fuit stabilita, quantum plurima instituit doctissimus hujus Theoriae auctor Nob. MAHON, scilicet non tantum Vir Nobilis vidiit scintillam electricam redeuntem inter duo corpora dicto modo, respectu conductoris primi machinae electricæ posita, verum etiam hanc ipse fuit expertus, cum se ipsum, prope conductorem primum, in insula electrica ponebat, & alteri, ad parvam ab eo distantiam, quoque in insula electrica positò, suam electricitatem, qua, actione atmosphaerae conductoris primi, gaudebat, communicebat, quo facto, & scintilla electrica, per aliud corpus, e conda-

Etore primo elicita, ipse concussionem redeuntem vehementer sentiebat, erumpente simul scintilla inter ipsius & alterius hominis manum, quae, hunc in finem, sibi invicem satis propinque erant admotae.

Sed videamus, quomodo illa percussio redeuns, in Electricitate naturali, obtainere possit. Ponamus majorem quandam nubem, valide electrifatam, alicubi in atmosphaera haerere. Hujus atmosphaera, uti vidimus, in superficie telluris excitabit electricitatis speciem, propriae suae directe oppositam. Sit porro, in parte aliqua ejusdem atmosphaerae, positus quidam homo, vel aliud quoddam animal, vel in genere quaedam res laxius tantum cum telluris superficie cohaerens. Haec per atmosphaeram nubis, eodem modo ac superficies telluris, electrifabitur. Ponamus jam in aliqua nubis parte a loco, in quo illa res versatur, distanti, fulmen erumpere. Statim, ubi hoc obtainuerit, cessabit actio atmosphaerae nubis in superficiem telluris, adeoque & rei, illi impositae: restituto enim aequilibrio electrico, nubis atmosphaera perit. Verum, si cessat actio atmosphaerae, nubis in tellurem, materies electrica, quae (posita nube positive electrifata) a superficie telluris erat repulsa, statim redire conabitur, et quidem, uti antea vidimus, magno cum impetu. Quia jam illa res cum superficie telluris, cui infistit, non arte conjugitur, neque cum illa conductorem electricum, haud inter-

rup,

ruptum; constituit; sequitur; subitaneo admodum redditu materiae electricae versus telluris superficiem, & ejus partes supra reliquas eminentes, facile scintillam electricam, hanc inter rem ipsi impositam erumpere posse, & eam quide mita validam, ut homini, vel alio animanti, necando, aliisque rebus dejiciendis, par sit, dummodo nubes satis valide fuerit electricata.

Haec autem percussio redeuns fieri potest in loco, maxime ab illo, ubi fulmen directum erupit, remoto, & quidem in omnibus illis locis, ad quae atmosphaera nubis electricae fese extendet, quam in nubibus majoribus, valide electrisatis, admodum magnam esse probabili conjectura aequilicit. Et simul sic obtinere potest, ut duo objecta, maxime remota, eodem instante, a fulmine percutiantur, alterum scilicet a fulmine directo, alterum a percussione redeunte, dum tertium objectum, his interpositum, nihil malum experitur. Hoc scilicet obtinebit, si media nubis pars altius in atmosphaera sit elevata, quam duo ipsius extrema; tum scilicet atmosphaera nubis, quae eo densior est, & fortius agit, quo propius a nube absit, majorem efficaciam edet in superficiem telluris, utrique nubis extremo proximam, quam in illam: hujus superficie partem, quae mediae nubi subest, & sic in uno extremo poterit fulmen in terram descendere, & in superficie telluris, alteri extremo obversa, percussio redeuns obtinere, dum

superficie telluris pars, his intermedia, nullum patietur dampnum.

Huc referendus etiam videtur memorabilis casus quem retulit Nob. BUISSART. (d) Fulmen scilicet duas aedes sacras, per horae spatium a se invicem distantes, eodem momento ferierat, & quidem ita, ut ex manifestis indiciis pateret, fulmen in unam aedem de coelo decidisse, alteram autem, dum ex terra ad superiora redibat, tetigisse.

IV. Hactenus exposuimus diversos modos, quibus fulmen vel e coelo ad terram, vel e terra ad coelum pervenire potest. Verum in hoc transitu facile sieri potest, ut, varias propter causas, viam suam directam, quam caeteroquin secutum esset, derelinquit, & in alium locum lateraliter declinet, ibique funestis suis viribus saeviat. Has itaque causas pariter examinare, propositi ratio postulare videtur. Causae autem, cur fulmen viam directam derelinquit, & in latus flectatur ad tres praeceps reduci posse, mihi videntur. *Prima* est, si conductor, quam materies electrica, in transitu suo, sequitur, sit minus bonus: *Secunda*, si bonus quidem sit conductor, sed varie interruptus: *Tertia*, si materiae electricae nimia copia adsit, quam

---

(d) Vid. *Journal de Physique Tom. 23. Octobre 1783. p. 442. seq.*

ut facile per conductorem abduci possit. De singulis paucis vi-  
deamus.

*Primo* dixi, fulmen in latus flecti, si conductorem minus bo-  
num sequi cogatur. Quicunque modo generales aliquot de  
electricitate notiones habet, eidem quoque notum est, constan-  
tem esse legem, materiem electricam semper optimos condu-  
ctores sequi, eosque prae caeteris eligere. Si itaque fulminis ra-  
dius conductorem quendam minus bonum sequi cogatur, & alius  
melior in vicinia sit positus, priorem illum deseret, & se in pos-  
teriorum conjiciet, & sic fulmen pristinam viam relinquat, ut  
novam hanc, licet forte longiorem, viam, juxta meliorem con-  
ductorem sequatur. Haec, utut satis manifesta, praeterea ex-  
perimentis electricis facillime confirmantur.

*Altera* causa, cur fulmen viam suam deferat, est, si conduc-  
tor, quem in via sua sequitur bonus quidem sit, sed in quodam  
loco interruptus; in loco enim, ubi conductor interruptus est,  
materies electrica multam resistentiam, in transitu suo, per aera,  
corpus idioelectricum, invenit. Si itaque illi occasio detur, in  
alium quendam conductorem transeundi, pristinam suam viam,  
etiam hoc in casu deseret, & novam sequetur. Hujus rei plu-  
rima exempla, cuique, qui aliquot tantum relationes, de de-  
trimentis, quae fulminis ictus aedibus sacris, aliisque aedificiis  
attulerunt, evolverit, ad manus sunt. Atque, ulterius hanc

rem

rem confirmandi, nobis erit opportunitas, ubi postea, in proprietates boni conductoris, ad funestos fulminis effectus averterendos, sumus inquisituri.

*Ultima* tandem causa mutatae fulminis viae est, si materies electrica tanta copia adsit, ut facile simul per conductorem, quem sequitur, transfire nequeat. Tunc scilicet, propter summam elasticitatem, illa materies se versus omnes partes extendere conabitur, & ideo, ubicunque corpus conducens invenit, in illud transibit. Haec causa est, cur, ad majores lagenarum Leydensium compages (*batterias*) exonerandas, ut amur excitatore, manubrio idioelectrico instructo, quia scilicet, si manubrium esset conducens, propter insignem materiae electricae, quae simul semelque transfire debet, copiam, facile pars magna ejusdem lateraliter excuteretur, & experimentorum institutori laud levia nonnunquam damna afferre posset. Verumtamen hic animadvertisendum puto, effectum hunc non unice huic causae deberi, & in genere, hanc causam admodum raro, si unquam, solam operari; sed memoratos effectus partim quoque deberi, mox explicatae, concussioni redeunti. In exoneratione enim compagis lagenarum Leydensium (ut in hoc exemplo maneamus) si excitator manubrio conducente sit instructus, atmosphaera electrica ipsius compagis hujus electricitatem naturalem repellat, & per manum ejus, qui experimentum instituit in ipsius corpus

tran-

transire faciet, quae electricitas, statim post exoneratam compagem redibit, modo supra explicato. Patet itaque, hujus phænomeni causam non unice in concussione laterali poni posse; sed aliquam tamen partem huic quoque deberi, negare non au-sim, dum propter ingentem quantitatem, & summam elasticitatem materiae electricæ, in superficie compagis lagenarum collectæ, omnino aliquid de hac in manubrium anelectricum excitatoris procul dubio transire deberet.

V. Tandem in consideratione fulminis, quaerendum restat, utrum illud quoque ab aliis causis, quam ab electricitate oriatur, vel, jam ortum, ulterius propagetur. Ab aliis causis praeter Electricitatem oriri fulmen posse, & subinde solere, praeter omnes illos, qui, cum nullâ adhuc electricitatis scientia gaudent, fulminis originem, unice in vaporibus inflammabilibus accensis quaerebant, quoque opinati sunt recentiores nonnulli Physici, in primis Doct. SIGAUD DE LA FOND (e) & DONNDORFF (f). Praecipuum autem argumentum, quo hi Viri opinionem suam firmare conantur, deductum est ex flammis, quae in aëre sponte sua accenduntur, & ardent, quales

---

(e) Vid. *Dictionnaire de Physique*, Art. Tonnerre.


(f) I. I. II. Th. p. 526.

subinde observantur, & qualem casum admodum notabilem se vidisse retulit Marchio MAFFEI. Hic scilicet tempore procelloso, in cubiculo sedens, ibi talem flammarum orientem, & deinde, summa cum vi, superiora versus erumpentem observavit. Porro iidem h̄i Physici suam sententiam multis speciosis argumentis muniunt, quorum praecipua examinare conabimur. Primo dicunt, insignem vaporum inflammabilium quantitatem quotidie in atmosphaeram elevari: atque in hoc eos recte sentire, talesque vapores inflammabiles, oleosos, & sulfureos, in aere ferme semper adesse, nemo facile negaverit. Deinde afferunt, iis in regionibus, in quibus ejusmodi vapores, spectata soli natura, maxima quantitate elevari debent, etiam fulmen longe saepius faevire, quam in aliis regionibus, quae iisdem vaporibus minus obnoxiae sunt: Sic in Italia & Sicilia fulmen frequentissime observari; quibus denique addunt gravem odorem sulfureum, qui in locis a fulmine percussis observatur; ne nunc plura, minoris momenti, argumenta adducam. Haec si consideremus, apparebit quidem ex illis, ad fulmen saepius concurrere vapores oleosos, sulfureos, aliosque inflammabiles: verum hinc minime concludere licet, ipsos hos vapores fulminis esse causam; e contrario admodum mihi probabile videtur, causam accensionis illorum vaporum in fulmine esse quaerendam, praesertim cum

notum sit, scintillae electricae ope rēs inflammabiles facillime accendi. Et eo magis probabilis redditur haec sententia, quo certius est, naturā in suis operationibus, per paucas causas, maxime variatos effectus edere. Neque tamen inde concludi velim nullum prorsus meteoron, fulmini simile, ab illis vaporibus, sua sponte inter se accensis, oriri posse. Hoc unice mihi volo, causam hanc non in universum ad fulmen concurrere & admidum raro tantum ipsius causis esse anumerandam, praefertim, cum superius allata argumenta hac in re plane nihil probent. Odorem enim sulfureum in illis locis, ubi fulmen cecidit, observari nihil mirum est, cum tales odorem electrica materia, si majori copia alicubi collecta sit, nunquam non fundat. Quod autem attinet ad majorem frequentiam fulminum, illis in regionibus, quae maxime vaporibus inflammabilibus scatent, certum appareat, & in posterum adhuc magis confirmatum videbimus, electricam materiem eo copiosius in atmosphaeram colligi, quo major vaporum copia in illam elevatur: adeoque naturaliter, in illis regionibus, fulmen faepius locum obtinere debet, & simile quid quoque in America Septentrionali, ingentibus lacibus admodum referta, observatur. Praesertim autem in illis regionibus, ubi montes ignivomi inveniuntur, hi, quum sint altissimi, fulmen facillime attrahunt, ut semper fulmina copiosiora in regionibus montosis, quam in planis, observantur. Atque

ex his omnibus jam , ni fallor , abunde patet , fulminis originem semper praecipue , si non unice , ab Electricitate esse derivandam , dum ab illo , sic orto , vapores inflammabiles , in atmosphaera haerentes , saepius accenduntur , & sic fulmen ulterius propagant.

Deinde cum de cunctis invenientur causis fulminum , quae in primis ex electricitate , et secundis ex igne , et tertis ex vento , et aliis causis , quae in multis modis possunt causare fulmen , utrumque invenimus .



## CAPUT QUINTUM.

### *DE TONITRU ET FULGURE.*

Fulminis perpetuus comes est *Tonitru*, fragor ille horribilis, quem semper post fulminis eruptionem percipimus, & qui de fulmine, e longinquo adveniente, adeoque periculo imminentem, satis certo nos monet. Ipsi⁹ explicationem breviter videamus. Ab omni scintilla electrica majori excitari sonum quendam observamus, multum autem ille a sono, quem tonitru edit, differt, non tantum intensitate, sed quoque eo, quod sonus a scintilla electrica, in nostris experimentis productus, nunquam toties repetitus, & in se quasi revolutus sit, qualem sonum ipsius tonitru esse, nunquam non observamus. Sonus hic in genere certo certius inde oritur, quod aer ambiens, a scintilla electrica, vel fulmine, in transitu suo celerrimo, vehementer concutiat & dilatetur, sicque in eo vibrationes sonorae exci-

tentur, majores, pro majori materiae electricae quantitate, quae, semel simulque, ex uno corpore in aliud transit. Verum quaeritur, unde ille sonus continuatus, & quasi revolutus, qui in tonitru observatur? Plures sonum huncce unice ex varia reflectione soni, quam hic, in corpora terrestria irruens, patitur, explicare conati sunt & certe hujus causae magnam, hac in re, efficaciam esse, omni dubio vacat, cum tonitru nuspian magis intensem, & repetitum audiatur, quam in regionibus, in quibus plures montes, aliaque objecta, supra superficiem telluris elevata, eminent. Verum, quominus unice huic causae hunc effectum adscribamus, vetat observatio, ipsius tonitru eundem esse quoque sonum in regionibus admodum planis, immo in ipso Oceano. Ergo hujus rei alia quaedam causa quaerenda erit, quam, ni fallor, facile inveniemus, si consideremus, distantiam, ad quam fulmen erumpit esse satis magnam, hanc a fulminis radio intra momenti spatum percurri, dum ad eandem percurrentiam aliquo, licet caeteroquin parvo, tempore sonus indigeat. In toto itaque spatio, in quo fulmen cecidit, & aërem, ipsi resistentem, concussit, sonus eodem quidem tempore incipiet, sed eodem tempore ad aures pervenire haud poterit: primus itaque ad nos perveniet iste sonus, qui ortus est in loco nobis proximo, deinde succedit, qui in remotiori, donec ultimo percipiamus illum sonum, qui in loco a nobis remotissimo originem duxit.

duxit. Sic continua in Tonitru observabitur sonus, qui tunc adhuc, ab objectis terrestribus reflexus, augebitur. Confirmatur hoc, si observemus, itineratores, qui altissimos montes conscenderunt, ibique fulminis origini adfuerunt, tonitru tantum simplex audiisse.

Cum fulmine, in superiore Capite, satis superque exposito, in pluribus convenit Fulgur, & haec convenientia, tum ab acutioribus, tum a vulgo, semper adeo fuit agnita, ut, qui de Fulmine aliquid dicere conatur, fulguris explicationem omittere posse non videatur.

Ut itaque hac quoque in re expositionem pro viribus compleamus, hic inquiramus, *Primum*, in illam convenientiam, quam inter fulmen & fulgur adesse, diximus; *Deinde* ipsum phaenomenon ex cognitis electricitatis legibus explicare conemur.

I. Convenientia fulguris cum fulmine ut recte dijudicari possit, exponendum erit, quid per fulgur intelligamus. Per *Fulgur* nempe nobis repraesentamus lumen illud vividum, atque scintillans, quod, sub diversis formis, & varia extensione, noctibus aestivis, tempore sereno, vel parum tantummodo nubilo, videmus, cum tamen non audiatur tonitru. Atque illud maximam relationem ad fulmen habere statim patebit, si in tempus & circumstantias, sub quibus observatur, accuratius inquiramus. Tunc enim animadvertismus fulgur, vel post praete-

ritam procellam, observari, quo in casu aëra refrigerescere dicimus, vel, paucos dies post observatum fulgur, advenire ipsum verum atque genuinum fulmen, atque tunc quoque cernimus, fulgur esse longe intensius, quando fulmen cito insequitur, quam quando illud longiori morâ adveniens utitur. Unde ejus magna relatio cum fulmine, cuius, vel instantis, vel abeuntis, nuntius esse videtur, patet. Haec autem Analogia fulmen inter & fulgur clarius adhuc elucefecit, si lumen fulguris comparremus cum eo lumine, quod a materia electrica, per vacuum transente, emititur. Scilicet in utroque lumine eadem diffusio, variae formae, idem color, & magna objectorum illuminatio, qualem, nec fulmen, nec electrica scintilla, caeterum producere possunt, verbo; omnia phaenomena similia observantur. Hoc itaque valde probabilem reddit opinionem, fulgur ab electricitate oriri; quae si vera sit, certissime ejusdem analogia cum fulmine, quod electricum phaenomenon esse Cap. I. sufficienter probavimus, constabit. Verum magis adhuc materiae electricae phaenomena, cum fulguris phaenomenis convenire, cernetur, si illam materiam in lagena Leydensi, ex qua aér pro maxima parte exhaustus est, condensemus. Tunc in aequilibrium redire continuo conabitur, sed illud facere non poterit, nisi in aëre, lagena collum ambiente, dentur particulae quedam, materiae electricae conducendae aptae. Quando ita-

que

que tales particulae in contactu sunt cum capite lagenae, quod conducens supponimus, materies electrica, sese nunc in aequilibrium remittens, praecise eadem phaenomena edet, ac fulgur, & haec per satis longum tempus durabunt, quamdiu scilicet adhuc aliqua materies electrica lagenae inest. Egregie imprimis illa phaenomena cernuntur, si caput lagenae manu tangamus, idque aliquoties repetamus. Tunc ad unumquemque attactum in lagenae lumen, fulguri exacte analogum, cernetur.

Atque haec fere sunt, quae, ut fulgur pro phaenomeno electrico, fulmini analogo, habeamus, faciunt, plura enim argumenta hic adducere non licet, cum fulgur tantum ex apparitione dijudicare possimus, & nullos ipsius effectus observare nobis liceat. Dum itaque, quo ad apparitionem suam, exacte cum electrica materia conveniat, analogia nobis concludendum suadet, fulgur pro phaenomeno electrico, cum fulmine maxime conveniente, esse habendum.

II. Cognitam itaque cum habeamus fulguris causam, nunc in modum, quo illa, in effectu hoc exerendo, operetur, inquirendum erit. Statuunt autem hic nonnulli, fulgur directam cum fulmine relationem habere, ita ut illud tantum a fulmine nimis remoto, quam ut cum eo insequens tonitru audiri posset, oritur; vel obtainere fulgur, quando nubes electricae multis eminentiis sunt instructae, ita ut ipsum fulmen inter eas erumpere

non possit, sed materies electrica tantum, continuo quasi tractu, sese in iis in aequilibrium restituere cogatur (*a*). Neque certe omni probabilitatis specie carere mihi videtur illa opinio, qua fulgur pro fulminis remoti effectu habetur, in illo nimirum fulgure, quod, post peractam procellam observatur. Si enim concipiamus nubes procellosas ulterius a nobis removeri, & per nubes electricas, ibi inveniendas, augeri, tunc si distantia sit satis magna, unice fulmen, quod in superiore atmosphaerae parte erumpit, cernetur, & hoc forte ibidem sese dispergere poterit, & sic fulguris lumen vividissimum producere. Etsi autem haec fulguris explicatio satis bene procedere videatur, tamen, quominus fulgur semper tali modo produci credamus, vetat; quod saepius, eo tempore, quo fulgur observatur, nulla alia, praesentis in atmosphaera, procellae signa adsunt, quae post aliquot tandem dies insequitur; dum in his casibus fulgur longe facilius & verius ex collatione ejus apparitionis, cum phaenomenis electricis, quae in aëre rarefacto observantur, explicari potest, quam explicationem hic addere non inutile existimamus. In comparando fulgure cum fulmine, & materia electrica, videntur, ejus phaenomena perfecte convenire cum iis, quae

m2-

(*a*) Conf. de his aliisque Physicorum, circa fulguris originem, opinionibus.

materies electrica in vacuo vel aëre rarefacto edit, adeoque non inprobabilem fore conjecturam, si fulgur in aëre, altiore loco posito, adeoque rariorū, oriri putemus. Hocposito, videamus an inde probabilem fulguris explicationem, dare possimus. Materies electrica in aëre praesens, propter summam elasticitatem in eodem sese expandere conabitur, & eo quidem magis, quo minorem resistentiam ipsi obferat aér. Patet hinc, materiem electricam admodum alte in atmosphaeram adscendere debere, & quidem longe altius, quam vapores, quibus caeteroquin juncta videtur, hi enim, quamprimum ad aliquam in atmosphaera altitudinem adscenderunt, condensantur. Verum fluidum electricum, sic in superiore atmosphaerae parte haerens, ibidem fere nullos conductores inveniet; hinc aufugere non poterit, sed accumulabitur, donec sufficientem acquisiverit densitatem, ut per aëra sibi viam paret, atque, fulguris forma, appareat. Atque densitas, quam, in hoc casu materies electrica acquirere debet, ut sese, per aëra, in aequilibrio ponere possit, tanta non est, quanta caeteroquin esse solet, quoniam scilicet in illa atmosphaerae parte, jam aér magnopere est rarefactus, adeoque solitam, quae ipsi, in statu compressionis, prope telluris superficiem, propria est, resistentiam fluido electrico hic offerre nequit. Cum autem aér, in altitudine, in qua fulgur observamus, nondum adeo sit rarefactus, ut nullam, vel admodum saltem parvam fluido electrici

co<sup>re</sup>sistantiam offerre, concipi p<sup>o</sup>ssit (huc enim requiritur, ut septuagesies vel octogesies solito sit rarer; sed tantam esse altitudinem, in qua fulgur observamus, nulla ratio nobis persuadet) sequitur fluidum illud aliquam condensationem habere debere, nt sibi per aera viam paret, & haec a<sup>r</sup>is resistentia quoque faciet, ut aequilibrium electricum minus bene restituatur, ut semper contingere solet, quando illud per conductorem minus bonum restituitur, hinc etiam per unum fulgaris ictum sese electrica materies in aequilibrium remittere haud poterit, sed fulguris apparitio per aliquod tempus durare debebit, & ubi unus fulguris ictus fuerit missus, aliquo tempore indigebit electrica materies, ut iterum illum condensationis gradum nanciscatur, novo fulguri producendo aptum; hinc quoque fulgur non continuum, sed interruptum esse debebit, quod perfecte cum observationibus congruit. Verum, ut materies electrica sese rite in aequilibrio remittere possit, requiritur, ut conductor, per quem ha<sup>r</sup>a restitutio fit cum aliis conductoribus, quae fluidum electricum recipere possint communicet. Atqui tempore, quo fulgur observatur, quod plerumque fit post calidos, siccos dies aestivos, paucis tantum nubibus apparentibus, parum partium conducentium aeri inest, hinc fulguri tunc nubes, quae post occasum solis prope horizontem formantur, tanquam optimos, sibi obvios, conductores petet. Et haec fulguris, ut videtur maximē na-

turalis est explicatio, & perfecte cum generalibus electricitatis legibus conveniens. Praeter hanc explicationem etiam forte supponi posset, scintillam quandam electricam halitus inflammabiles, qui, admodum leves, in summa Atmosphaerae parte, haerere debent, accendere, & hos ita accensos saepius ad fulguris vividissimum lumen procreandum multum conferre.

DE REMEDIES, GOUVERNEMENTS PARISIENS  
D'EXTRAITS TOSSUINS

# C A P U T S E X T U M.

*DE REMEDIIS, QUIBUS FULMINIS PERICU-*

## *LA AVERTI POSSUNT.*

Fulmen ejusque funestos effectus consideravimus, cumque hi possint esse hominum vitae & possessionibus maxime noxii, is de genere humano bene mereri videtur, qui remedium aliquod, quo effectus hi abigantur, vel subleventur, excogitaverit, quem honorem Cel. FRANKLIN, tyrannis sceptrum, coelo fulmen eripienti, tribuendum esse neminem fugit. Hoc igitur Capite in illud remedium inquiremus, & quale illud sit, quomodo agat, & quem in modum optime applicetur, examinabimus.

Quicunque hodie vel nomine tenus conductores electricos (*afleiders*) novit, ad primum inquisitionis caput facile respondere poterit: his enim vim fulminis eruptionem vel praecavendi, vel funestos ejus effectus avertendi, inesse nemo nescit. Hoc cum ita sit, nostrum quoque erit, horum operandi modum & effec-

tus

tus exponere, &, allatis exemplis eorum utilitatem confirmare. Priusquam autem hoc negotium fuscipiam, non abs re fore existimem breviter pervestigare, an methodi, quas olim ad procellam advenientem penitus dissipandam, adhibere solebant, huic scopo feliciter assequendo satis essent aptae.

Ad Fulmen penitus dissipandum solebant, appropinquante tempestate, campanas aedium sacrarum & turrium ferire, tamenque bellicis magnum fragorem excitare. Jam vero quaeritur an haec remedia optatum effectum praestare possint, & soleant? Evidem, tum ope percussionis campanarum, & per motum tremulum in aere inde oriundum, tum ope fragoris, a tormentis bellicis excitati, aer dividitur & motus, venti instar, in eo producitur, quo fieri subinde quidem potest, ut nubes procellosae dividantur, sed & pro earum directione contrarium obtinere potest, ut scilicet nubes magis attrahantur versus locum, in quo vel campanae feriuntur, vel tormenta exploduntur. Similem effectum in vento observamus, qui nonnullas procellas dividit, alias citius adducit; & rem revera ita se habere tristissima docent exempla, tum hominum, tum Aedium Sacrarum, quos fulmen, dum in iis campanas feriebant, occidit, aedesque destruxit. Sic Anno 1718 una nocte in *Britannia minore (la Bretagne)* ab urbe *Landernau* ad *Fanum S. Pauli Leonini (St. Pol de Leon)* fulmen, in 24 turres, in quibus campanae feriebantur.

cecidit, dum aliae, in quibus campanae non sonaverant, intactae manebant, simulque in Aede Sacra pagi *Gouënon*, quae, tota quanta, destruebatur ex quatuor hominibus, in campanis feriendis occupatis, duo a fulmine caedebantur. Similiter Ao. 1786 Klattaviae in Bohemia fulmen 6 homines, in campanis feriendis occupatos occidit: & similius effectuum quam plurima prostant exempla.

Ex omnibus hisce manifesto, ut puto, appareat, remedium hoc, campanas feriendi, & tormenta bellica explodendi, omnino fallax & admodum periculosum esse, ita ut, licet forsitan aliquando utile esse posset, potius tamen plane rejiciendum sit, quoniam circumstantiae, in quibus utile esse vel nocere posset, difficulter admodum dijudicantur. Alia autem remedia, ad fulmen avertendum, praeter conductores cum hactenus, quantum scio, inventa non sint, ad horum considerationem mihi nunc erit transendum, quod ut eo melius fiat, quaedam de actione corporum acutis eminentiis instructorum, in materia electrica absorbenda, praemittam.

Varii varie hanc actionem explicaverunt, nonnullos explicandi modos hic proponam, ut, quae optima cuique videatur, eligi possit. Incipiam ab explicatione, quam dedit Nob. MAHON, (a)

(a) I. I. §. 30, p. 10. seq.

quae huc redit. Omne corpus positive vel negative electrifatum cingitur atmosphaerâ electricâ, quae qualis sit Cap. II. vidimus. Haec autem atmosphaera, dummodo corpus caeteroquin fuerit bene insulatum, impedit, quominus corpus electrifatum suam electricitatem aëri ambienti commode tradere, vel deficientem ab ipso recipere queat. Scilicet si corpus, quod hic positive electrifatum ponamus, adeoque cinctum atmosphaerâ positivâ, cuius densitas, crescente ejus a corpore electrifato distantia, decrescit, sit rotundum, nullis partibus eminentibus instructum, si aëre sicco sit cinctum, si bene sit insulatum, & nullus conductor ipsi adeo propinquus sit, ut huic suae electricitatis partem tradere possit, corpus illud difficulter admodum aliquid de sua electricitate perdet, quoniam ipsius atmosphaera, jam valide positiva, novam electricitatis quantitatem absque magna difficultate e corpore recipere nequit, quod tamen fieri deberet, si corpus aliquid de sua electricitate perderet.

Itaque corpus illud nulla alia accidente causa, nihil de sua electricitate perdet, saltem sensibiliter; nunquam enim aër adeo est siccus, quin sensim aliquam electricitatem e corpore accipiat, quae causa est cur omne corpus electrifatum sensim sensimque suam electricitatem amittere semper observemus. Verum sit nunc aliud quoddam corpus rotundum quidem, sed in aliqua ipsius parte quadam acuta eminentia instructum, quae tantae lon-

gitudinis sit, ut extra partem densiorem atmosphaerae illius corporis emineat. Videamus, quid in illo casu fieri debeat. Superficies illius partis eminentis, quae extra partem densiorem atmosphaerae electricae illius corporis eminet, valde parva erit, ponimus enim, partem illam satis acute terminari; verum si superficies sit valde parva, non nisi parva materiae electricae quantitas in illa accumulata esse poterit, & quoniam eminet e parte densiore atmosphaerae electricae corporis, poterit suam abundantem electricitatem sensim sensimque aëri ambienti tradere; nullam enim resistentiam ab ambiente atmosphaera electrica corporis patitur, vel saltem longe minorem, quam in omni alio corporis punto, tali eminentia haud instructo. Cum autem ipsa eminentia cum corpore electrificato communicet, ab illo continuo novam materiae electricae quantitatem recipiet, quoniam materies electrica in corpore electrificato fese per illud aequabiliter distribuere nititur, receptam hanc quantitatem iterum aëri tradet, atque hoc tamdiu durabit, donec corpus electrificatum omnem materiae electricae quantitatem superfluam amiserit & in statum naturalem pervenerit. Alia autem res est, si in corpore eminentia quidem adsit, sed rotunda & obtusa: in hoc enim casu pro majore superficie ipsius eminentiae, major densiorque atmosphaera illam cinget, & transitum materiae electricae ex eminentia in aërem impedibit. Eodem modo res fese

habet

habet in corpore negative electrifato, ubi materies electrica longe facilius per eminentiam acutam, quam per aliud quodcumque totius corporis punctum, intrat; neque hoc ulterior expōnere opus erit. Hanc autem explicationem confirmat observatio Nob. MAHON, eminentiam acutam, inter duas obtusas positam, ita ut illarum atmosphaeris tota quanta sit immersa, suam vim amittere, adeo ut electricitati e corpore auferenda amplius par non sit.

Tradita explicatio fatis bene procedere mihi videtur, alii tamen aliter hac de re opinati sunt. Sic Doct. CAVALLO (b) putat, hanc vim, quam eminentiae acutae electricitatem facilius amittunt & recipiunt, pro magna parte deberi aeri, qui, majori quantitate eminentiam acutam, quam aliud corporis punctum, ambit, & saepius renovatur, unde tunc continuo aliam aliamque electricitatis partem ex corpore recipit, donec illud cum ambientibus corporibus, respectu electricitatis contentae, in aequilibrio sit. Facile autem aëris, licet per se idioelectricus, electricitatem sensim & sensimque auferit, quoniam nunquam non quaedam particulae conducentes ipsi inhaerentur. F RANCKLIN (c) autem rem sequenti modo (quem tamen, sibi ipsius

(b) L. 7. p. 194. seq.

(c) Suite de la Lettre 5. à M. COLLINSON §. 15. seq. Oeuvres Tom. I. p. 56. seq.

non plane satis facere, agnoscit) explicat: rationem phaenomeni scilicet in eo quaerit, quod eminentiae acutae sunt illae partes corporis electricisati, in quibus maxima atmosphaerae electricae pars minimae superficie superimponitur, cumque jam vis, quam atmosphaera electrica cum suo corpore cohaeret, sequatur rationem superficierum electricatarum, hinc consequens est, atmosphaeram electricam minima vi in punctis & angulis eminentibus atque acutis cum corpore electricato cohaerere, adeoque ibi facilime corpus suam electricitatem perdere.

Haec de actione corporum eminentiis acutis instrutorum in materiem electricam sufficient. Quaecunque autem explicatio assumatur effectus est certissimus, & hic constituendis conductoribus, fulmini avertendo aptis, occasionem dedit. De his nunc in reliqua hujus capituli parte erit agendum.

Primus, qui funestos fulminis effectus, positis conductoribus, avertere conatus est fuit Cel. FRANKLIN, qui, postquam, in Litteris ad COLLINSON (d) datis, varia de materie electrica proposuerat, praecedentem explicationem actionis corporum acutorum in materiam electricam dederat, & hanc actionem experimentis confirmarat, ita pergit. „ Haec cum „ ita sint jam quaero, nonne cognita actio corporum acu-

„ to-

---

(d) Suite de la Lettre 5. §. 20. i. l. p. 62.

„ torum hominibus posset esse utilis, ad domus, aedes sacras,  
 „ naves aliaque a fulminis iectibus immunes servandos, dum no-  
 „ bis suadet, ut partibus maxime elevatis virgas ferreas vertica-  
 „ liter imponamus, harum extrema acuamus, easque ad rubigi-  
 „ nem praecavendam deauremus, utque hisce virgis in parte  
 „ inferiori adjungamus filum aeneum, quod juxta aedificia in  
 „ terram, juxta naves in aquam descendat; Nonne probabile  
 „ est, has virgas ferreas, ignem electricum tacite e nube fore  
 „ attracturas, priusquam haec ipsis tam propinquā sit, ut ful-  
 „ minis iactus adesse posset, & nos hoc remedio tot malis subitis  
 „ & terribilibus fore liberatos."

Et postea summi Viri conjectura omnibus observationibus confirmata fuit. Primi talium conductorum benigni effectus, aliquot annis post propositam conjecturam, in America Septentrionali observati sunt, ibique anno 1760 multum confirmati, cum per narrationem accuratam, de fulminis iectu vehementer, ope conductoris, pro maxima parte aversi, (*e*) constiterat hoc remedium scopo suo optime satisfacere. Hoc ubi apparuit conductorum usus in America Septentrionali primum magis magisque invaluit, neque tamen statim in Europam fuit translatus, tum quoniā pleraque regiones Europeae a fulmine longe minus vexantur,

---

(*e*) Vid. FRANKLIN *l. l. p. 235.*

tur, quam Americanae, tum propter alias modo memorandas rationes. In Angliam tamen Ao. 1762 conductorum usus fuit translatus, atque illi deinde sensim in omnibus regionibus Europaeis felicissimo cum exitu sunt adhibiti. Prius autem quam conductorum usus in Europam fuit introductus multae opiniones praejudicatae, quarum vis imprimis multum roborabatur auctoritate Cel. Abbatis NOLLET, erant refellendae. Hic inter alia haec scribebat (f): *Je persiste à dire, que le projet d'épuiser une Nuée orageuse du feu, dont elle est chargée, n'est pas celui d'un Physicien.* Putabat Vir Doct., conductores fulmen alicere, & in Aedes, cui affigebantur, ejus eruptionem dirigere. Illo autem tempore conductorum actio non ita bene erat cognita, nam eandem quoque opinionem fovit Gallica versionis historiae Electricitatis Priestleyanae auctor, qui post sectionem in qua Cel. PRIESTLEY utilitatem conductorum, ut puto plenarie, demonstraverat, in annotatione, fini hujus Sectionis subiecta, hanc Cel. NOLLET sententiam defendens, addit (g): *ingentem quantitatem materiae fulminis, nequaquam per metallicam virgam, adeo tenuem, posse absorberi, adeoque summas aedium partes*

(f) Vid. *Mémoir. de l'Acad. des Sciences An. 1764. PRIESTLEY l. 1. Tom. II.*

p. 355.

(g) Vid. PRIESTLEY l. 1. Tom. II. p. 393, 394.

potius apicibus non conducentibus instruendas esse. Praeterea quoque conductorum usus a quibusdam, ut violatio jurium divisorum, fuit consideratus; quae tamen objectio, quanti momenti sit, aequo lectori dijudicandum lubenter relinquo. Deinde quoque alii objecerunt, sic fulminis eruptionem, summae, in natura, utilitatis, averti, & materiam fulminis tali modo coactam forsan plura alia mala esse edituram. Haec autem objectio ut solvatur, animadvertisendum est, non omnem fulminis eruptionem, positis conductoribus, impediri, adeoque hoc argumentum nihil contra eos probare, dum praeterea conductorum scopus non est, fulmini ex omni parte viam paecludere, sed unice ejusdem fanestos effectus a nobis, nostrisque aedibus avertere, & nos ipsos ab iisdem immunes paeftare. Quod autem ad Cel. NOLLET, & ejus affeclarum objections attinet, hae experientiae optime refutantur: cum tamen alicujus momenti esse possit inquirere, num revera conductores fulmen attrahant, & quomodo illud in terram deferant, hoc aliquanto accuratius erit examinandum, praemissis tamen aliquot exemplis, quae conductorum utilitatem extra omnem dubitationis aleam ponere possint.

Primus hic memorandus casus sit ille qui Ao. 1762, Philadelphia in Pensylvania, contigit aedibus mercatoris cujusdam, WEST nominati. Hoc in casu vehemens fulminis iactus in conductorem cecidit ejusque extremitatem fudit, deinde juxta eundem

dem in terram penetravit, absque eo, ut ipsa domus inde aliquid mali passa sit (*h*). Alter casus, quem ad egregium conductorum usum probandum afferre lubet, est ille, qui accidit in Aede Sacrae S. Bride Londini (*i*). In hujus scilicet turrim, conductore haud munitam, cecidit fulmen in gallum metallicum ipsi impositum, cuius & metallicae, cui imponebatur, virgae ductum ad finem usque secutum est, ibi autem, nullo alio metallo praesente, erupit & varios lapides disjecit, deinde iterum stricturam ferream, lapidibus insertam, secutum est, ad cuius finem iterum erupit, & sic ab una strictura in alteram prosiliit, & ubique in locis, ubi stricturae haud aderant, lapides disjecit, aliqua damna paravit. Hunc casum si attenta mente consideremus, facile patebit integrum turrim nullum malum ab illo fulminis iactu passuram fuisse, si virgae, & stricturae metallicae haud fuissent interruptae, sed continuae; adeoque hic casus, ex intuitu damni ex conductore interrupto provenientis, manifeste demonstrat utilitatem conductoris continui, e summis aedibus ad tellurem usque porrecti. Idem hic casus quoque docebit, eandem rem, quae plurium animos contra conductores praeoccupavit

(*h*) Casus accurata narratio prostat in litteris a Doct. KINNERSLEY ad Cels. FRANKLIN datis, quae extant in hujus operibus. *Tom. I. p. 210. seq.*

(*i*) Vid. PRIESTLEY *I. l. Tom. II. p. 384. seq.*

pavit, potius eo tendere, ut eorum usum maxime commendet. Plures scilicet conductorum metallicorum usum propterea rejeciebant, quia observabant, fulminis funestos effectus praecise ibidem cerni, ubi major metalli copia aderat; non autem attenderunt hoc maxime naturale esse, quoniam fulmen semper conductores optimos sequitur, & inter hos, ut ab uno ad alterum perveniat, brevissimam viam nunquam non quaerit, quo sit ut magna vi corpora intermedia disjiciat, multaque mala paret, quae, si conductor metallicus continuus fuisset, minime consecuta forent. Tales quoque conductores, in navibus a fulminis effectu praeferandis, magnam utilitatem habere, experientia in casu admodum notabili evidentissime demonstravit.

Navis enim D. WINN, conductore instructa, mense Aprilis Ao. 1769, hujus actione a funesto fulmihis effectu plane fuit liberata. Patuit hoc sequenti modo. Cum circa vesperam, propter timendam procellam vela contrarerant, media nocte in conductore visum est lumen leviter coerulescens, quod non ab alio lumine, in navi sito, provenire, his remotis vel tectis, patuit, illudque phaenomenon ultra duas horas & dimidiā duravit. Procellā autem abeunte repertum fuit, conductorem, qui securitatis ergo, funibus mali erat alligatus, & ex catena cuprea, crassitiei calami scriptorii, constabat, in uno iuncturarum fuisse disruptum, sed propter funes, quibus conductor erat alli-

gatus, ita retentum, ut partes diffractae, asperae & aculeatae per  $\frac{1}{4}$  pollicis partes a se invicem distarent, ex quarum unâ in alteram itaque tacite matières electrica, e nube attracta, transiit, nec navi ullum damnum attulit (k). Qui autem plures alios casus, ex quibus conductorum utilitas quam manifestissime patet, legere cupiat, adeat scriptores infra citatos (l).

Priusquam autem nunc porro examinem, num & quousque conductores electrici fulmen attrahant, verbo adhuc objectio nem, contra horum usum modo ante memoratam, tangere debeo. Inquunt scilicet, concipi minime posse, quomodo conductores, non admodum crassi, ingentem illam quantitatem materiae electricae, quae nube procellosa continetur, absorbere queant. Ut huic objectioni obviam eatur, primum animadver tendum est, proprie hic non agi de absorptione materiae electricae per conductorem, uti tamen illud proponit Auctor versionis gallica libri Priestleyani, sed unice hic in censu m venire,

(k) PRIESTLEY Vid. *Geschiedenis der Electriciteit* II. D. p. 74. seq. Casus scilicet hic versione Belgicae hujus libri reperitur annexus, & in gallica versione, quâ caeteroquin usus sum, non extat.

(l) Vid. FRANKLIN I. l. Tom. I. p. 150. seq.; 168, 210. seq., 233. seq. 289. KRAYENHOFF apud JACQUET *Proeve eener Electrische Natuur-kunde* p. 146. seq. not. m. p. 262. in fine.

num conductores, non admodum crassi, possint fluidum electricum, e nube procellosa haustum, per suam substantiam transmittere, & terrae vel aquae tradere. Si itaque rem hoc modo, ut debet, consideremus, jam multo minoris ponderis evadit obiectio consideranti, conductorem materiae electricae nubis tantum viam commodiorem, per quam in terram tendat, parare, in primis, si (quod adversarii non observarunt) attendamus, non omnem materiam electricam nubis simul per eundem transire, quod tamen verissimum esse, si conductor apice acuto fuerit instructus mox clarus demonstrabitur. Quibus omnibus hoc unum, quod in rebus, quae facti sunt, instar omnium est, addam, nempe ex antecedentibus patere, experientiam docuisse, conductores hunc desideratum scopum revera obtinuisse, & in hunc usque diem obtainere. Missa autem haec objectione, de gravioribus videamus & conductores a suspicione, fulmen ab iis in nostra domicilia attrahi, liberare conemur. In antecessum autem animadverto, me hic unice loqui de conductoribus, acuto apice instructis, & non insulatis, sed contra, corporis optime conductentis ope cum terra marive communicantibus, quod quare fiat deinde patebit.

Quaeritur itaque, an conductores fulmen attrahant, nec ne? Ut rite ad hanc quaestionem respondeamus, distinguendum erit inter corpus ipsius nubis electrifatae ipsum, & ipsius materiam

electricam. De posteriori primum videamus. Ex omnibus, quae de actione atmosphaerarum electricarum in Cap. II. & de actione corporum acutorum in materiam electricam, in initio hujus Capitis, dicta sunt, sequentia apparere posse existimem.

1°. Corpora acuminata, atmosphaerae electricae cujusdam corporis immersa, hanc insensibiliter exonerare, & sua electricitate privare; cum autem scintillae electricae eruptio a densitate atmosphaerae pendeat, quod evidenter demonstravit Nob. MAHON, sequitur, corpora acuminata id agere, ut impediant, ne atmosphaerae electricae corporis, cui immersa sunt, densitas umquam eo usque augeatur, ut corpus electrisatum, scintillae ope, suam electricitatem in hoc corpus, acuto apice instrutum, exonerare possit.

2°. Cum pressio elastica, qua atmosphaerae electricae materies electrica in corpora acuminata agit, sit in ratione directa densitatis talium atmosphaerarum, & haec (demonstrante iterum Nob. MAHON) in ratione inversa quadratorum distantiarum a corpore electrisato, sequitur, quo magis corpus, acuto apice instrutum, atmosphaerae electricae corporis electrisati, inferatur, & quo propius ab ipso corpore abfit, eo majorem vim in illud acumen ab atmosphaera electrica exferi, & eo majorem quantitatem materiae electricae ab eodem acumine absorberi & deferri. Hinc iterum confirmatur, corporibus acutis eam esse vim,

ut

ut impedian, ne atmosphaerae electricae corporis electrifati densitas eo usque increscat, ut per illam densitatem haec atmosphaera exonerationem momentaneam materiae electricae possit sistere, & tali modo scintillæ eruptionem provocare.

3o Corpora acuminata haud agere, antequam atmosphaerae electricae corporis electrifati sint immersa, sed eadem, quam primum huic, licet ad parvam distantiam, adeoque exigua adhuc vi electrica praeditae, immersa sint, statim agere, propter parvam scilicet, quam materiae electricae introitui vel exitui opponunt, resistentiam.

Ex hisce jam propositionibus jure colligi posse videtur, corpora acuminata materiam electricam haud trahere, nisi intra sphæram ipsius efficaciae sint introducta, tunc autem quodammodo dici posse eandem attrahere, quoniam scilicet propter continuam absorbtionem materiae electricae, & summam hujus elasticitatem, ex omni ambitu atmosphaerae electricae corporis electrifati, & deinde ex ipso corpore, continuo nova materiae electricae quantitas in absorbtæ locum affluit, & affluxa iterum resorbetur.

Ut autem videamus, num corpora acuminata ipsum nubis electricæ corpus attrahant, animadvertisendum est, duo corpora sese invicem haud attrahere, nisi unum positive alterum negative fuerit electrifatum; cum autem ex praecedentibus appareat, atmosphaeram electricam corpora acuminata, haud insulata, ipsique immersa minime electrifare eam electricitatis specie, quæ

suae directe opposita sit, (quod caeteroquin in corpora ipsi immersa facere solet), sed ipsam a corporibus acutis exonerari, sequitur, corpora acuta nunquam a nube electrica attrahi, neque eam attrahere posse, adeoque speciosam hanc objectio- nem ruere, & plane nihil contra eos probare.

Vindicato jam ab objectionibus conductorum usu, restat, ut in eorum formam, scopo maxime idoneam inquiramus. Circa hanc autem non omnium eadem fuit sententia, dum alii conductores, in apicem quam maxime acutum terminatos, alii tales, qui in apicem, globo terminatum, excent, praeferabantur. Hac autem de lite quid statuendum sit, comparata inquisitio in utriusque effec- tus optime docebit. Ex iis, quae in anteriori hujus Capitis parte de conductoribus, acuto apice terminatis, dicta sunt, hic omnia, quae ad quaestionem propositam illustrandam sunt ne- cessaria, deponi poterunt, quod ut eo melius fiat, adhibita figura rem illustremus.

Sit (Fig. IV) AB via, quam nubes electrica sequitur, AC distantia explosiva nubis, sive illa distantia, ad quam si aliud cor- pus nubi appropinetur, hoc tintillam e nube elicet; haec e- manente nubis electricitate in eodem statu, quoque constans erit. Notet linea curva EM<sup>q</sup> limites atmosphaerae electricae ipsius nubis; sit porro G objectum quoddam, conductorē F, acuto apice terminato, instructum, atque ita situm, ut nisi nubis at-

mosphaera exoneretur, intra ejus distantiam explosivam sit positum, adeoque fulmine percuti debeat. His positis, progrediatur nubes procellosa ex A in D, erunt jam limites Atmosphaeræ & conductor E actionem atmosphaerae experietur. Jam ex præcedentibus sequitur, fore, ut conductor acutus F electricitatem atmosphaerae nubis diminuat, cumque, hâc diminutâ, ejusdem distantia explosiva quoque diminuatur, ponere licet, distantiam explosivam AC, quantitate HI esse diminutam, quando nubes in D pervenit. Nube autem ulterius versus B progrediente, conductor F magis magisque atmosphaerae erit immersus, fortius itaque agerat, atmosphaeram magis exonerabit, & hinc distantia explosiva etiam continuo minor minorque evadet, ita ut illa ex AC, uti, nube adhuc plenarie onerata, erat, successive evadat DH, NP, QR, ST, &c., sive limites distantiae explosivæ nubis describent successivis hujus diminutionibus lineam CHPRT, ita ut, cum nubes directe supra conductorem venerit, distantia ejus explosiva QR jam talis sit, ut nequaquam ad conductorem F perveniat, utque adeo fulmen ipsum ferire minime possit.

Nunc autem videamus, quinam, sub iisdem circumstantiis, conductoris, rotundo apice vel globo terminati, futuri sint effectus. Positis omnibus ut in casu priori, nisi quod hic (Fig. 2.) conductoris F extremitas globo terminata ponitur, statim, ubi nubes

## 30. DISSERTATIO PHILOSOPHICA

nubes ex A in D pervenit, atque ejus atmosphaera ad conductorem F sese extendit (quoniam globus, propter resistentiam, quam fluido electrico offert, ad exonerandam nubem nequaquam est aptus) repelletur pars electricitatis naturalis, globi & totius conductoris, atque, ipse globus electrisabitur ratione opposita electricitati nubis (haec in Cap. II. demonstrata sunt); quia autem duo corpora, diversa electricitatis specie electricata sese attrahunt, hinc globus nubem, nubes globum attrahet, quoniam hic autem cedere non potest, cedet nubes, & globum versus feretur; hinc a D, ubi supponimus actionem atmosphaerae in globum incipere, nubes viam primitivam AB relinquet, & in directione DHNT feretur, ita ut pars ejus infima continuo conductori F fiat propinquior, & loco distantiae explosivae nubis AC, quando haec in N pervenit non supersit nisi distantia NF; hinc patet nubem sese omni vi exonerare debere in conductorem F, & hunc procul dubio fulmine tactum iri.

Ex his jam expositis, unicuique haud praecupato, nisi fataliter, facile patebit, quantum conductores, acuto apice terminati, qui nubem tacite exonerant, & fulminis ictum praecavent, sint preferendi talibus conductoribus, qui rotundo apice vel globo terminantur, qui fulminis non modo haud praecavent eruptionem, sed eam potius facilitando provocant.

Ex sedula comparatione utriusque descripti effectus quisque videt.

jam

jam facile concludere poterit, quantum conductores, acuto apice instructi, similibus, apice obtuso terminatis, sint preferendi, dum ipsa data expositio objectionum, quae contra conductorum, acuto apice instructorum, usum moventur, solutionem continet. Tales autem sunt, conductorum, obtuso apice terminatorum, ope fulminis funestos effectus plenarie averti, itaque opus non esse, fulmen, adhibitis apicibus, alicere. — Vicinas Aedes magis per conductorem acutō apice instructum, quam per alium rotundum, fulmini exponi. — Apices acutos facilis fundi, quam obtusos &c. contra quarum objectionum ultimam hoc unum notamus, tales casus admodum raros esse, & bonum effectum, quem illi conductores praestant, haud impedire, dum leve est & facile reparabile damnum, inde oriundum (*m*). misga obat

Postquam sic, conductores, acuto apice terminatos, maximam in avertendo fulmine utilitatem praestare vidimus, quaestio hic loci maxime naturalis, haec est: Quomodo tales conductores debeat construi, ut fulmem modo maxime commodo avertant & similitudo ut nobis minimum, vel plane nihil, a terribili illo meteoro fit timendum. Haec autem materies si ex integro pro sua dignitate tractaretur, non aliquot tantum paginas, sed integrum librum

*(m)* Qui hac de re plura cupit, adeat Nob. MAHONI, *l. i. p. 135 — 189.*

requireret, quod cum dissertationis Academicae cancelli minimis permittant, hoc unum agam, ut breviter praecipuas boni conductoris dotes exponam & has, ubi necesse fuerit, paulo amplius illustrem.

1º. Conductor primo ex materia debet constare, quae electricitatem facilissime conductit, adeoque ex metallo. Pro maxima parte ferrum adhiberi solet; praestat tamen infra solum uti tubis plumbeis, qui ab humiditate minus vitiantur, & superior extremitas ex cupro vel orichalco est conficienda.

2º. Deinde Conductor ubique, quantum fieri potest, solidus sit, oportet absque ulla interruptione, vel ita saltem, ut, si eum interrumpere necesse sit, variae, ex quibus tunc constat, partes modo optimo in unum quasi corpus conjugantur, ita ut fulmen in suo per eas transitu minimam resistentiam offendat.

3º. Requiritur ut sufficientem crassitatem habeat, ut fulmen facile transmittat absque fusione; si ferrum adhibeat virga, cuius diameter ubique unum pollicem aequat, sufficit.

4º. Conductorem apto modo cum terra humida vel aqua conjungere oportet, quoniam terra, si fuerit sicca electricitatem male conductit, quod funestorum phaenomenorum causa esse posset: Facile enim tunc fulmen ubi ad infimam conductoris partem pervenisset illic erumperet & multum damni pararet; ab hac itaque conditione multa pendent, adeoque huic rei maxima attentio, in construendo conductore, est tribuenda.

5º. Quintum boni conductoris requiritum est, ut ejus extremitas, quantum fieri possit acuta & eminens sit; hanc enim scintillae electricae eruptionem optime praecavere satis superque vidimus. Quoniam autem in initio hujus Capitis patuit, hunc effectum deberi exiguae talium apicum superficie, supra atmosphaeram corporis, quo cum junctae sunt, elevatae, sequitur optimam formam, quam extremitati conductoris exhibere possumus, esse conicam, eamque talem, ut diameter basis coni minimam rationem ad ejus altitudinem, v. c. ut 1: 40, habeat.

6º. Ut conductor scopo suo maxime satisficiat requiritur, ut multum supra altissimas aedium partes, caminos &c. emineat, e. gr. ad 8 vel 10, imo 12 pedes: quo magis enim eminet eo longius ab atmosphaera electrica corporis, quo cum conjungitur, est remotus.

7º. Bonus conductor semper per viam brevissimam a summa aedium parte ad tellurem descendere debet, caeteroquin enim domum non satis a fulminis explosione immunem praestaret. Experimentis etenim, omni dubitatione majoribus, constitit, scintillam electricam viam breviorem per conductorem minus bonum, vel & ipsum aëra, prae longiore per conductorem meliorem, saepius preferre.

8º. Omnes partes metallicae eminentes domus, imo, quantum fieri potest, omnis massa major metallica, quae ipsi inest, cum

conductore optimo, quovis modo, conjungi debet, præfertim si aliquanto longius ab eodem distet, ne fulmen, talem massam ferens, opfatos conductoris effectus eludat.

9<sup>o</sup>. Requiritur, ut si domus fuerit majori non tantum unus, sed plures, pro magnitudine domus, conductores erigantur.

Hi secum invicem metalli ope accurate communicare debent, & non ultra 40, vel ad summum 50 pedes, a se invicem distare.

10<sup>o</sup>. Tandem omnes hos conductores modo solidissimo constructos esse debere sponte patet.

Hæc conditiones omnes (n), si in conductore construendo rite fuerint observatae, id omne, quod in nostra potestate est, ad fulmen a nostris domiciliis avertendum, praestitum est, neque illud casibus forte extraordinariis, humanâ sapientiâ haud prævidendis, exceptis, in talem conductorem, vel domum ipso instructam sese conjiciet. Quod si tamen fieret, admodum probabile est (præfertim si conditio octava rite fuerit observata), fulmen nullum, vel saltem perexiguum damnum tali aedificio esse illaturum.

Vidimus hucusque, quomodo fulmen a nostris domiciliis aver-

(n) Ulterius has Conditiones exposuerunt, & notas practicas addiderunt Nobis MAHON, I, I. p. 190. seq., KRAIJENHOFF ad JACQUET I, I. p. 256. seq. DONN-BORFF, I, I. Th. II. p. 616. seq.

ti, & haec ab illo praeservari queant. Naturalis autem sese offerat quaestio, num, pariter ac domus nostras, nos ipsos a fulminis funestis effectibus liberare possimus. Si rem a priori consideremus plura talia dantur remedia, & passim ab auctoribus proposita sunt; de plerisque autem animadvertisendum videtur, ea difficulter admodum in praxin duci posse, & tamen optatum effectum vel plane non vel imperfecte tantum praestare. Hinc unice defungar proponendo talia remedia, quae, ex cognitis fluidi electrici legibus unicuique perspicua sunt, facile instituantur, quorumque neglectus nos fulminis funestis effectibus multum exponeret.

Cum vestimenta parvam tantum rationem ad totius corporis volumen habeant, exiguae utilitatis fore puto cautelas, quae hoc respectu a nonnullis fuere proposita; cui & hoc accedit, quod plures cautelas plane contrarias circa vestimenta proposuerunt, dum eas maderi. F R A N K L I N, Sericas esse & probe siccas alii voluerunt. Hoc unum circa vestimenta observandum videtur, nos a majori quantitate metalli imprimis prominentis & acuti cavere debere, parva enim hujus quantitas multum materiae electricae attrahere valet, & si interrupte juxta corpus sit positum fulmen in transitu ab uno metallo ad alterum multum damni inferet, cuius memorabile exemplum prefert Abbas H E M M E R (o). Cer-

tis-

(o) Vid. J. J. H E M M E R Verhaltungsregeln, wenn man sich zurgewitterzeit in seinem bewafneten Gebäude befindet. Mannheim 1789, §. II. p. 13, 14.

tissimum autem remedium, ut nosmet ipsos a fulmine praeferemus, est, ut nos in domum bono conductore probe munitam conferamus, haec enim dum intacta manet, & nos, qui in illa moramur, nihil a fulmine patiemur. Ubi autem talis domus non adest, sequentia, alicuius utilitatis posse esse, puto. Elegendum scilicet videtur conclave satis amplum, quantum fieri potest, siccum & supra tellurem aliquantum elevatum. In hoc ille locus est eligendus, qui ab omni metallo, quod fulmen facile tangere posset, maxime est remotus. Hinc evitandi sunt patentes conclavis, has enim, caeteris paribus, fulmen subentissime sequitur. Frustra autem laborant, qui inani metu percussi cellas ingrediuntur, ut illic fulmen ausugiant, has enim non solum petere potest fulmen sed revera etiam subinde petiit (*p.*). Deinde vapores sunt evitandi, halitus enim praesertim humidos fulmen facile sequitur, & per eos ad nos duci possit; quod non ita per aera siccum fit. In conclavi etiam aliqua fenestra commode aperitur, ut si fulmen forsan domum feriret, vapores suffocantes, qui illud concomitantur, facile exitum invenire possint. Hac etiam de causa plurium hominum, luminarium &c. in uno conclavi praesentia nocet. Evitandi quoque sunt camini, in primis si ignis major in illis alatur, neque in loco speculis opposito

con-

---

(*p.*) Vid. HEMMER l. 1. §. 16. p. 18.

consistere debemus, dantur enim exempla, specula a fulmine  
 fuisse diffracta & vitrum eorum magnâ vi in parietem op-  
 positum conclavis projectum. In Aede Sacra locus sub lumina-  
 riū sustentaculis, prope turrim vel organum, est evitandus.  
 Nocte praestat lectum derelinquere, ne, si forte fulmen cadat,  
 suffocemur. Quando autem appropinquante procella in plateis  
 degimus, illic satis tui remanere possumus, dammodo medium  
 plateae partem semper tenendo tam longe absimus a domibus,  
 ut fulmen has seriens non facile ad nos transmittatur. Si vero  
 vigente procella simaëre aperto versemur, sequentia observasse  
 non inutile erit. Omnia loca elevata evitanda sunt, ne attrap-  
 etio, quae inter hominem, supra telluris superficiem elevatum,  
 & materiam electricam nubium jam sponte adest, adhuc augea-  
 tur. Forsan in procella admodum vehementi utile esse posset,  
 fese pronum in terram conjicere. In primis autem evitandae sunt  
 arbores, praecipue illae, quarum succi valde aquosi sunt; in ar-  
 bores enim, ut objecta admodum elevata fulmen saepius cadit,  
 cum autem homines electricam materiem melius conducant,  
 quam arbores, semper valde probabile est, homines, qui sub  
 arborum tegmine morantur, fulmine tactum iri, si ipsa arbor  
 ab eo tangatur. Evitanda etiam sunt propter eandem rationem  
 vicinia aedium, murorum, curruum &c., ut & loca humidiora,  
 paludosa. Motus nimius quoque evitari debet, quoniam hic cor-

pus calefaciendo exhalationem auget & sic aërem particulis con-  
ducentibus replet, quas fulmen lubenter sequitur, & tali ratione  
ad nos perduci posset. Porro loca, in quæ fulmen cecidit, non  
statim postea sunt adeunda, nam fulmen, sicuti semel locum  
quemdam ferierit, saepius illuc redire consuevit. Tandem non  
inutile erit oculos manu vel panno tegere, ne splendidum fulminis  
lumen nos caecos reddat. Atque haec fere sunt remedia, quibus  
homines fulmen a se ipsis avertere possint, (q) eorum autem  
usus nos non semper ab electricatis maxime terribili effectu im-  
munes praestabit; in his enim multa a circumstantiis pendent,  
quas quisque attenitus facile discernet, & quid in iis agendum,  
quid omittendum sit, videbit.

(q) Magis enucleata haec omnia prostant in primis apud Abbatem HEMMER  
in libro modo ante laudato, Conf. & KRAYENHOFF ad JACQUET I. l. p. 183.  
seq. DONNDORFF I. l. Th. II. p. 643. seq.

## CAPUT SEPTIMUM.

DE ORIGINE ELECTRICITATIS AT  
MOSPHÆRICÆ.

**C**um jam pro instituti ratione satis explicata videantur fulminis tum natura, tum effectuum remedia, plenae hujus argumenti expositioni deesse nihil videtur, quam, ut coronidis loco, inquiratur in causas, per quas aequilibrium electricum inter atmosphaeram, sive nubes in illa contentas, & tellurem disrumpatur, id est, illa vel positive vel negative electricetur.

Atque hic in primis duae memoranda sunt opiniones, quarum altera has causas in adscendentibus vaporibus, altera easdem in ipsius aëris electricatione ponit. Utraque autem opinio nonnullas notiones de statu fluidi electrici in corporibus cognitas supponit, hic in antecepsum exponendas.

Inter proprietates fluidi electrici primum locum occupat, summa ejus elasticitas, qua per omnes corporis partes fere, quan-

tum fieri potest, uniformiter distribuit. Sin autem major adsit fluidi electrici copia, quam quae corporis substantiam contineri possit, excessus ille in Corporis superficie colligitur, ibique atmosphaeram electricam format, qua ratione ipsum corpus positive electrifatum erit. Sin autem, manente quantitate materiae electricae eadem, corporis volumen augeatur, illa materies propter summam elasticitatem sese iterum per amplius illud volumen aequabiliter distribuet, & sic atmosphaera, quae antea corpus cingebat, peribit, & corpus quantitatem naturalem electricitatis respectu ambientium corporum habebit. Patet itaque, eam quantitatem fluidi electrici, quam corpori cuidam naturalem dicimus (id est illam, quâ si corpus praeditum est, id nulla electricitatis signa edat) in eodem corpore pro ipsius diverso volumine differre debere. Si itaque corpus in aliquo ipsius statu habeat electricitatis quantitatem ipsi naturalem, idem illud corpus, manente quantitate fluidi electrici eadem, expansionem apparebit negative electrifatum, contractum vero positivae electricitatis signa edet.

His positis, nunc primum illam opinionem, quae statum electricum atmosphaerae, ab adscendentibus vaporibus derivat, exponamus.

Ex omni tum terrae, tum aquarum superficie, ingentem continuo vaporum copiam, in atmosphaeram elevari, qui, condensati

fati iterum descendentes, materiam omnium meteororum aquorum constituant, ita in vulgus notum est, ut nulla demonstratio indigere videatur. Omnes autem hi vapores, cujuscunque demum sint naturae, in corporibus, cum superficie telluris communicantibus, p<sup>r</sup>aexstiterunt. Ubi autem hi vapores adscendere incipiunt, fluidum electricum, corporibus, unde exhalant, contentum, aequabiliter per illos, & per ipsa corpora, unde exeunt, distribuitur; vapores itaque adscendentes respectu telluris, unde oriuntur, non electrisati, sive in statu naturali apparebunt. Ipsa autem superficies telluris, quae vapores exhibet, respectu aëris ambientis non conducentis, in statu negativo erit posita, quoniam scilicet insignis pars electricitatis naturalis hujus superficie<sup>i</sup> telluris cum adscendentibus vaporibus avolat. Hos autem nunc in suo per atmosphaeram itinere sequamur. In adscensu suo actioni duarum causarum, sibi invicem e diametro oppositarum, subjiciuntur, frigori scilicet pro majori a tellure distantia continuo crescenti, quo condensantur, & simul pressioni atmosphaerae, multo minori eâ, quam prope telluris superficiem experiebantur, quo pressionis decremento se in majus volumen extendunt. Utriusque hujus causae efficaciam rite perpendentes, a vero non multum aberrare videbimus, statuendo, conjuncta hac illarum actione vapores fere in eodem expansionis statu manere, adeoque eorum electrici-

citatem respectu telluris esse nullam, vel admodum parvam. Jam autem si in superioribus atmosphaerae tractibus, in illa regione, ubi fulmina formari consueverunt, hi vaporess condensentur & in nubes cogantur (id quod, ubi vaporess ad certam quamdam altitudinem pervenerunt, continuo fieri observamus) eorum volumen multum imminuetur; materies electrica, quam continebant, jam non amplius in iis contenta remanere poterit, sed ad eorum superficiem emerget, ibique atmosphaeram electricam constituet, quo modo hae nubes positive sient electricatae. Et haec jam facillime alias vel positive vel negative electricare poterunt, uti illud jam antea vidimus. Confirmant autem expositam opinionem varia experimenta, in quibus observatum fuit, negativam electricitatem oriri in illis corporibus, quae insignem aliquam vaporum copiam emitunt, dum idem quoque in effervescentiis, ubi magna cujusdam gas copia evolvitur, obtinet (a). Et haec explicatio quoque perfecte cum iis, quae Cap. IV. Sect. I. de electricitate atmosphaerae dicta sunt convenit, nunquam enim non haec positiva, si integrum scilicet atmosphaeram spectemus, est, id quod perfecte cum hisce expositis convenit, quam primum enim vaporess aliquam modo condensationem acquisiverant,

(a) Conf. PAETS VAN TROOSTWYK & KRAYENHOFF L. A. Part. I. S. 8.  
L. Ch. 3. §. 42, p. 57, 48 & Appendix p. 317, 318.

runt, statim positive electrificati apparere debebunt, dum praeterea ipse aer respectu superficie telluris quoque positiva electricitate gaudet. Ex hac itaque nunc exposita causa, quamdiu experientia nos alia haud doceat, electricitatis atmosphaericae originem tuto derivare licebit.

Alii autem aliter opinati fuerunt. Restat itaque nunc, ut eam de origine electricitatis atmosphaericae opinionem, quae ejus causam in ipsis aeris, tellurem proxime ambientis, electricisatione quaerit, examinemus. Proposuit hanc opinionem Nob. OLIVER (b). Fundamentum suae hypotheseos ponit, illudque experimentis confirmat, aeri calefacto majorem esse capacitatem ad fluidum electricum recipiendum, quam aeri frigidiori, & aerem condensatum, admodum parum electricitatis capacem esse. Statuit porro, stratum quocunque aereum electricatum suam electricitatem non posse communicare cum, vel recipere ab, alio strato vicino contrario modo electricato, nisi corpus aliquod anelectricum adsit, fluido electrico, hoc in casu, conducendo aptum; deinde afferit, ingentem quotidie vaporum invisibilium quantitatem e mari assurgere, admodum parvam autem e terra. Jam autem sic ratiocinatur: Aestu solis praesertim circa

me-

---

(b) Vid. *a Theory of Lightning and Thunder-Storms in Transactions of the American Philosophical Society Vol. II. p. 75--101.*

meridiem aër, tellurem ambiens, insignem in modum calefit, hinc expanditur, ejus capacitas electrica augetur, & de statu naturali electricitatis, in quo antea versabatur, nunc negative fit electricus. Haec autem praesertim in terra obtinent; aër enim oceano incumbens, si vel minimus ventus adsit, non ita calefit, radii enim solares in oceanii superficiem incidentes maxima pro parte a medio illo diaphano refringuntur & absorbentur, & non ita reflectuntur, quam in continente: nunc porro illa pars atmosphaerae telluris, quae a calore fuit expansa & negative electricata, adscendit ad illum usque locum, ubi fulmina formantur; hujus locum Aër marinus frigidior, qui multis adhuc vaporibus onustus est, & adhuc in statu naturali versatur, occupat. Ex hoc aëre superius atmosphaerae stratum negative electricatum vapores aqueos attrahit, & hos ita sibi jungit, ut singulae aëris electricatae particulae cingantur quasi atmosphaerâ vaporis aquosi, ita ut jam hujus ope ipsarum deficientem electricitatis quantitatem ex alio aere, vel nubibus forte positive electricatis, recuperare queat, vel etiam e terra. Hoc jam aëris stratum vaporibus junctum, densam nubem negative electricatam constituet, in qua si aequilibrium electricum restituitur, fulminis phænomena oriuntur. Cum autem strata aërea vario gradu electricata esse possint, facile explicantur variae illae directiones, attractiones & repulsiones, quae, dum nubes electrica formatur, observantur.

Quam

Quamvis autem ingeniosum hoc sistema electricitatis atmosphae-  
triae originem & fulminis eruptionem satis bene explicare videa-  
tur, tamen quaedam sunt, quae, quominus ex integro illud recipia-  
mus, vetent. Scilicet ex hoc systemate non videtur melius,  
quam ex praecedente explicari posse ingens illa ignis electrici  
quantitas, quae durante procellâ observatur, quam tamen aucto-  
rem ad hoc sistema excogitandum incitavisse, ipse profitetur.  
Porro, licet vapores certe longe majori copia ex Oceano, quam  
e terra, adscendant, videtur tamen Nob. OLIVER quantita-  
tem vaporum, e terra exhalantium nimis parvam statuisse, dum  
tamen praeter flumina & alias aquarum collectiones, in conti-  
nente inveniendas, ipsa tellus, arboribus & plantis testa, insig-  
nem profecto vaporum aqueorum quantitatem emittat. Ad haec  
quoque forte non satis attendens Vir Nob. inferius atmosphae-  
rae stratum, tellurem immediate cingens, fere tanquam aërem  
purum, nullis particulis conducentibus refertum, consideravit;  
cum tamen illud stratum aëreum in adscensu suo, ope vaporum  
contentorum, materiam electricam deficientem ex vicinis aëreis  
stratis recipere debere omnino videatur: tandem quoque confide-  
randum esse videtur, quoisque regio aëris calefacti extendatur, &  
an haec suum calorem cum aëre, super Oceanum expanso, non  
communicet, & tali modo forte etiam hunc cum contentis vapo-  
ribus electrifet? quo in casu magna Theoriae pars admodum cer-  
te labefactaretur.

Cae-

Caeterum, utraque exposita hypothesis meretur ulterius examinari & ad experimenta revocari. Haec autem instituere mihi hueusque, varias propter causas, in primis aëris tempestatem; hac hyeme electricis experimentis mimine faventem, non licuit. Forsitan, si otium atque occasio mihi dentur, hanc rem ulterius examinare conabor, &, si aliquid tentamina valet, ea publici juris faciam. Interim liceat dissertationi hic finem imponere & aequum benevolumque Lectorem enixe rogare, ut, si multa non satis bene sint proposita, & alia ipsi obversentur, quae vel addi vel omitti debuissent, juvenili aetati parcat, & semper memor sit vulgati illius:

*Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.*

**T A N D M U T O M.**

C O

# COROLLARIA ATQUE THESES.

I.

*Ad explicanda phaenomena electrica optima videtur FRAN-  
KLINIANA, de electricitate positiva & negativa hypo-  
thesis, quamquam eandem multis adhuc dubiis premi, haud  
negemus.*

*Electricitas Atmosphaerae potissimum adscendentibus vaporibus  
originem debere videtur.*

X I

III.

*Conductores, acuto apice instructi, longe sunt praferendi iis,  
quorum extremitas superior est obtusa.*

X II

IV.

*Neque conductores, acuto apice instructi, ipsum nubis electrica-  
tae corpus attrahunt, sed illud sensim sensimque electricitate  
privant.*

V.

*Electricitati multum in formanda Pluvia deberi, verosimilli-  
mum putamus.*

VI.

*Lumen potius cum NEWTONO pro materia sui generis,  
quam, cum EULERIO, pro modificatione Aetheris videtur  
habendum.*

III X

VII.

# CORPORALIA ATQUE THESES.

Motum intestinum, continuum, ad naturam fluidorum pertinere,  
- sine idoneo fundamento statuitur. VII.  
Minus necessaria est Cunei in simplicem & dupl. distinctio:  
est enim generalis, in omni Cuneo, aequilibrii lex, ut de-  
beat esse Potentia ad Resistentiam ut basis Cunei ad ejus  
Altitudinem. IX.

Systema mundi, quod Copernicanum vulgo audit, veteri Pto-  
lemaico & recentiori Tychonico jure praesertur. X.

Telluri re vera proprius caloris fons, ab illo calore, quem  
radii solares fundunt, diversus, ineffe videtur. XI.

Aqua ex recentissimis experimentis non amplius pro corpore sim-  
plici, sed re vera pro composito ex Aeris dephlogisticati &  
inflammabilis basibus est habenda. XII.

Male agunt, qui in rebus Physicis Theoriam cum Praxi pugnare  
posse statuunt. XIII.

X I I.

Licet differentialia, seorsim spectata, sint verum nihil, tamen,  
si ad eorum originem attendamus, certissimum apparet, quae  
inter illa datur relationem aliquid reale esse.

X I V.

Mentis operationes nos docent eam esse ens simplex; hoc autem  
cum nec Atomon nec Monas esse posset, Sequitur illam esse  
immateriale.

X V.

Illam post peractum hoc vitae stadium perduraturam esse, ipsa  
ratio suadet.

X VI.

Rationi non repugnat resurrectio mortuorum, in primis si cum  
Ill. BONNETO assuumamus, mentem post mortem cum quo-  
dam corpore junctam manere, quod, deinde evolutum, identi-  
tatis corporum resurrectorum fundamentum constituat.

X VII.

Libere agimus.

X VIII.

Brutis quoque inesse principium quoddam immateriale, eorum  
natura & operationes testari videntur.

XIX.

X I X.

*Corporum veram existentiam contra Idealistas tenemus.*

X X.

*Recte LEIBNITIUS hunc Mundum dixit omnium possibilium esse optimum.*

X X I.

*Mentem continuo cogitare magis probabile videtur, quam eandem nonnunquam ab omni cogitatione cessare.*

X X I I.

*Rejicienda videtur sententia eorum qui cum BAYLIO statuunt, societatem, ex veris Christianis constantem, florere non posse.*

X X I I I.

*Pacta metu injusto extorta jure Naturae non valent.*

X X I V.

*Suicidium propter vitae taedium commissum jure Naturali prohibetur.*

